M

Shelley

VIRTVTES THOMÆ OBORSKI, Episcopi Laodicensis. SVFFRAGANEI ET CANONICI CRACOVIENSIS.

Imitationi Fidelium expositæ: beneuolo & humili obsequio,

P. STANISLAI KVKLINSKI
Societatis IESV.

CRACOVIÆ, Ex Officina
SCHEDELIANA. S. RM. Typ:

PERILLUSTRI
Ac
REVERENDISSIMO DOMINO,

D. NICOLAO OBORSKI,

EPISCOPO LAODICENSI,

Suffraganeo, Scholastico, Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali CRACOVIENSI &c.

DOMINO, PATRONO, Ac Benefactori Colendissio.

DEcimus agitur annus, cum meâ, quali quali operâ, tuis autem impensis, prodierat in lucem narratio virtu-

tum Sanctæ memoriæ THOMÆ OBORSKI, *Genere Patrui, officio antecessoris Tui. Intra quod spatium, quantumuis numerosa libelli exemplaria, ad eam paucitatem deuenêre; vt cum non deessent, qui ea requirerent; deesset, quo requirentium desiderijs satisfieret. Visum proinde est pietati Tuæ, vt nec Tu sumptui, nec ego labori iteratò parcerem: præsertim quòd ex Actis* THOMÆ *partim imitandis, partim admirandis, non nulla tempus post aperuerit, quæ antea nos latebant. Sed & errata quædam in priorem editionem irrepserant; in hac secunda corrigenda. Prodit igitur libellus mole voluminis quo faciliùs circumferri possit, priore exilior, rerum accessione auctior; adeoq; gratior futurus cum Tibi tum Venerabili Principis Ecclesiæ Collegio, cui suum olim Collegam*

& quo

& quo sanctiùs, eò insignius nobilissimi Collegi decus, posterorũ memoriæ pleniùs cõmendari, non poterit vti spero, non esse pergratum. Cæterùm supplico Diuinæ bonitati, vt quoniam, quem ego vtcunq; adumbraui calamo, Tu egregiè exprimis imitatione, magna intuentium ædificatione, magno Illustrissimi Antistitis, Sacriq; Collegij solatio, magno totius amplissimæ Diœceseos emolumento, magno Tuorũ apud DEVM *meritorum incremento: quo hæc tanta bona in multos vbertim proueniant annos, incolumẽ Te & donis gratiæ suæ cumulatissimum quàm diutissimè præstet.*

Perillustris ac Reuerendissimæ Dominationis Vestræ,

Seruus humillimus

STANISLAVS KVKLINSKI,
Societatis IESV.

PROTESTATIO AUCTORIS.

APostolico decreto, die 13. Martij 1625. edito, de non imprimendis celebrium Sanctitate hominum vitis; eiusdemque decreti decreti declarationi, 5. Iunij 1631. & Confirmationi, 5. Iulij 1634. factæ; obseruantiâ ac reuerentia, quâ par est, insistendo; profiteor: narratione virtutum Thomæ Oborski Episcopi Làódicensis Suffraganei & Canonici Cracouiensis; non me id agere, vt opinionem illi sanctitatis arrogem: aut cultum conciliem religiosum; gradumuè struam ad solennes ipsi in Ecclesia decernendos honores: aut quæ narro, velut ab Ecclesia approbata lectori exhibeam: potiùs omnia, non aliter accipi velle; quàm quæ humanâ dumtaxat authoritate nitunrur.

Facul-

Facultas & Approbatio Reuerendi Patris Præpositi Prouincialis Societatis IESV per Poloniam

LIbrum, *de virtutibus* THOMÆ OBORSKI, *Episcopi Laodicensis, Suffraganei Cracouiensis. &c.* à P. STANISLAO KVKLINSKI, *Nostræ Societatis Sacerdote, conscriptum, & à deputatis, ad id, Theologis, lectum, & approbatum, concessa mihi, ab Admodum Reuerendo Patre Nostro* IOANNE PAVLO OLIVA, *Societatis Nostræ Vicepræposito Generali, potestate, typis mandari, permitto: si ita illis, ad quos pertinet videbitur.*

Cracouiæ in Domo Probationis 27. Decembris Anno Domini 1663.

MARTINVS OLSZEVVSKI, m. p.

Censura & Approbatio
Prioris editionis.

Admodum Reuerendi Domini. in Diæcesi Cracouiensi Librorum Censoris.

VIrtutes Thomæ Oborski Episcopi Laodicẽsis &c. à Reuerẽdo Admodum Patre STANISLAO KVKLINSKI Societatis IESV Theologo imitationi Fidelium propositas, ideã rectè dixeris Episcopalis vitæ, ac muneris: dignam imitatione, dignam posteritatis memoria, dignam publicâ luce. Luxit hic DEI Sacerdos in Ecclesia, vitæ ac morum inno-

innocentiâ ſingulari, eximiâ pietate, in adimplendo Suffraganei officio ſummâ ſolicitudine. Luceat & hoc pio ſcripto poſteritati: clariſsimarumq; virtutum ſuarum quàmplurimos habeat æmulatores. Ita voueo, ſcriptumque præſens in lucem edi permitto. Anno 1663. Die 6. Octobris.

HYACINTHVS LIBERIVS

S. T. D. Præpoſitus SS. Corporis Chriſti Canonic: Regul: Librorum in Diæceſi Crac:

CENSOR.

AP-

APPROBATIO.

Posterioris editionis.

PErennant feliciter eximiæ virtutes piæ memoriæ Reuerendissimi Thomæ Oborski Episcopi Laodicensis, Suffraganei & Canonici Crac: perseuerat in animis hominum grata illarum recordatio, addit non mediocre fomentū, iteratum hoc cum auctario scriptum, cui vti & priori editioni parem appono Censuram & Approbationem, ac in lucem ire permitto. Anno Domini 1673. Die 23. Iunij.

HYACINTHVS LIBERIVS S.T.D.
Præpositus SS. Corporis Christi Canonicorum Regul: Librorum
CENSOR.

I N-

INDEX CAPITVM.

Præ-

Præfatio.

N*Arrationem Virtutũ Thomæ Oborski texere institui: deuexâ iam ætate: maioreque animo quàm viribus. Verùm vt cætera desint; certè nec diligentia defuit in inquirendis: nec fides deerit in scribendis: quæ ex familiaribus Thomæ Præsbyteris, qui ei plures Annos conuixere, tum alijs fide apprimè dignis, cognoscere licuit, Causa susceptæ operæ, præcipua; Maior gloria Dei: laudabilis in Sanctis suis: tum communis Ecclesiæ vtilitas. Enimuerò Thomas, quoad in terris egit, perpetuo vitæ in-*

teger-

tegerrimæ tenore, crebriſque interim heroicarum virtutum actibus, tot ac tam præclara ſolidæ ſanctitatis ſpecimina edidit; vt vita eius, idea quædam Diuinitus propoſita videatur; ad quam huius ſæculi homines, & in primis Clerus ſæcularis æmulâ Sanctimoniæ imitatione ſeſe componerent. Acceſsère haud leuia incitamenta: Eximius Thomæ, ſibique conſtans ſemper, erga Societatem animus: tum erga domum Profeſſam Crâcouienſem, (cui interim indignus præſum;) beneficentia ſingularis. Nam com

mune

mune natale solum; & si quis est alius nexus sæculi; abiuncto mihi ab sæculo, in minimis sunt. Sed & illa subijt animum cogitatio; quantumuis in Societate, vti scriptores, ita scribenda, DEI munere, non desint; condecere tamen, ad alterius quoque Ordinis, & quidem in Ecclesiâ primarij decora, tinctum in charitate extendere calamum: ne nobis solùm ipsis placere, nostraque celebrare videamur. Porro vitam serui DEI, non per spatia ducam temporum: nec numero, ac varietate distin-

quam functionum: longum id, & operosum magis, quam vtile foret: sed certo ordine, digestam seriem, contetam virtutum: primùm quidem earum, quæ animum ad DEVM; Deoque proxima; tum quæ in semetipso: demum ad proximum; ritè componunt. Quanquam virtutum is genius est; adeoque sui inuicem (vt ita dicam) amantes, ac veluti mutuo complexu innexæ sunt; vt vix aliqua narranda sese offerat; quin alterius poscat mentionem.

Particularibus me morãdis

maximè insisto; quia hæc imitationi opportuna magis. Primùm ac potissimùm immoror imitandis: admiranda; vti vera æstimatione sunt; ita loco postrema erunt.

CAPVT I.

Patria, genus, electio, ſtatus, ex more præmittuntur.

NAtale ſolum Thomæ, ea pars Regni Poloniæ fuit, quæ Ducatus Maſouiæ appellatur: Prouincia egregiè Catholica, & Hæreticis ſemper infeſta; vt hoc, inter beneficia Thomæ Diuinitus conceſſa, meritò numerandum ſit, quòd in Catholiciſſima gente ex Parentibus Catholicis nato, à prima mox vſura lucis non licuerit non eſſe Catholicum. Parentes claritudine generis præſignes: Pater Procopius de Obori, Pocillator Cerſcenſis, ex præluſtri & perantiqua Columnarum familia, quæ ex Italia in Poloniam cum Hannone Columna, Archiepiſcopo Gneſnenſe, ſub Miecislao Principe

traducta, velut generosa stirps in aliud translata solum, non equestris solũ; verum etiam Senatorij ordinis togâ, sago, Pontificalibus tiaris insignes protulit viros. Mater Catharina Łosia Castellani Visogrodensis filia. Nec verò huic decori diutius immorandũ quod cùm cæteroqui mundus faciat magni, humilis seruus Dei pro minimo duxit.

Puer sortitus animam bonam, vbi inter bonas artes in pietatis & literarum gymnasijs adoleuit, quò arctiùs se cultui Creatoris sui adstringeret, sacris initiari voluit. Ac primo Canonicus Cracouiensis ad Principem Basilicam Cathedralem; deinde, crescente de eo virtutis cæteræq; dignitatis opinione, inuitus quidem, multumq; vt suo narrabo loco, reluctans, Episcopus Laodicẽsis, ac Suffraganeus Cracouiensis creatus est.

CAPVT II.

Deuotio in Deum.

MEritò ſanè inſignia virtutum viri Dei in medium producturi, ab eâ potiſſimum ſeriem narrationis ordimur, quæ (*vt ait Ambroſius*) ordine prima eſt, & fundamentum cæterarum. Tametſi autem deuotio ſtrictè ſumpta; illa dumtaxat nobiliſſimæ omnium moralium virtutum Religionis pars ſit, quæ Theologis definitur; parata, prõptaq; voluntas exequendi ea omnia, quæ ad cultum DEI pertinent; nihilominus, hîc eam, ex communi iam acceptione, latiùs ſumimus: prout ſalia etiam virtutis Religionis officia complectitur. Eius verò, per totam vitam luculenta Thomam ſpecimina edidiſſe, ex fide, qui nouerunt, memorant.

Meditationi, quæ eſt cauſa interna, ac fomentum veræ deuotionis, quotidie, ſeu domi eſſet, ſeu in itinere, horam integram impendebat; proie-

ctis vt plurimùm in terram nudam genibus; ac citra vllius fulcri adminiculum. Quo verò materia paratiore, methodoq; ordinatiore in meditando vteretur, habebat semper, seu domi, seu peregre esset, ad manum; Ludouicum de Ponte. Cuius diuinarum commentationum liber, tam ipsi familiaris erat, vt quoties, certa; pro ratione præscripti temporis Ecclesiasticarum precum parte absolutâ, diceret; Da mihi librum; pueri gnari consuetudinis eius, haud alium porrigerent, quàm Ludouicum de Ponte. Exercitijs spiritualibus Sancti Ignatij, quotannis in Domo Professa Societatis IESV duas circiter hebdomadas, singulari diligentiâ animum excolebat.

Vti meditationi, atq; examini cōscientiæ, quod bis in diem faciebat, ita Horis Canonicis recitandis, quoties opportunitas loci aderat, in secreto, clausoq; cubiculo vacabat: ac si

quis

quis cum Deo ita agenti importuniùs interuenisset, acriùs sanè commouebatur: indignum ratus; Deum deserere, vt homo hominem alloquatur. Quo in genere, quid sibi adolescenti accidisset, solùm tunc Minoribus Ordinibus initiato, ac nec dum exactiori modestiæ Clerum addecenti, assueto; narrauit mihi Adamus Zelichenski, iam tunc Canonicus Culmensis, ac Generalis Officialis Pomesaniensis. Missus eram (inquit) à quodam Prælato, ad Reuerendissimum Suffraganeum. Occluso tunc ipse pro more ostio, Horis Canonicis dicendis intentus erat. Admitti importuniùs postulaui: pulsaui fores liberaliùs: tum ille aperto ostio, ac vultu in seueritatem verso: quidnam hoc? quid agitur? nunquid Cracouia ardet? minimè, inquam: curnam igitur me vtiq; cum Deo agentem, tam imporrunè interpellas? Pudefactus adolescens, ad breue tempus ruborem passus, ad lon-

longum retulit, haud vulgare dignè Deo cum Deo agendi exemplum.

Nullo non die, Sacrificium incruentum offerebat, etiam cum aduersâ valetudine conflictaretur: præterquã; si vi morbi oppressus, præ debilitate pedibus consistere non posset: tunc verò: ne communi fidelibus sacrificij fructu careret; impetratâ ab Episcopo licentiâ, domi suæ audiebat Missam. In itinere sicubi copia Ecclesiæ non esset; diuertebat sacri habendi causâ ad Ecclesias etiam longè distantes. Cùm domi ageret; ordinariè sacrum faciebat in Ecclesia Cathedrali ad effigiem sculptam Saluatoris Crucifixi: alloquio Beatæ Heduigijs, alijsq; miraculis celebrem. Sacrificabat porro vultu ad deuotionem mirè cõposito, atque (vt testatur eius à sacris Minister) nunquam sine lachrymis. Præcedebat sacrum, accurata semper præparatio, nec minùs deuota sequebatur actio gratiarum; quo tempore

lo

neminem volentium alloqui, admittebat: dicẽs, ſibi modo cum Deo ſolo agendum eſſe, ſeu miniſtraret, ſeu perciperet ſacramenta, ſingulari id pietatis ſenſu, diligentiâ, reuerentiâq; faciebat. Quo ſtudio puritatis, ac teneritudine conſcientiæ fuit, leuiſſimas etiam noxas, ſeu potiùs noxarum vmbras, minimè patientis; confitebatur quotidie: & nonnunquam pluries in diem: Accedebat porro ad Sacerdotem palâm: ſpectante populo, & tanquam vnus ex populo, gratâ cuiuſdam ſimplicitatis, demiſſioniſq; ad populum commendatione: ac ſpectãtium ædificatione. Sacerdoti comiter roganti, vt quoties confiteri vellet, euocari ſe potiùs faceret ad Sacrarium, quàm confertæ miſceretur multitudini; reſpondebat quod Chriſtus Ioanni: *Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Non deerant, qui tam frequentem exomologeſim minùs probarent; verùm ita

 ſenti-

ſentientes, & celebrium ſanctitate ho-
minum exempla, & ratio obuia confu-
tat. Nimirum, ſi citra iuſtam repre-
henſionem manus in diem ſæpiùs ab-
luimus, cur non maculas animæ? præ-
ſertim quòd ob corruptionem natu-
ræ, mentiſq; humanæ mobilitatem,
citiùs ferrè animæ maculas, quàm
corporis contrahimus: atteſtante elo-
quio Diuino: *Iuſtus ſepties cadit &c.*
Erga Chriſtum, in horto pridie paſ-
ſionis orantem, peculiari ac pertene-
ro pietatis ferebatur affectu. Ad eius
imaginem, venerabundum procum-
bere; eam, quoties eundo redeundo
inambulabat, in quolibet acceſſu pijs
oſculis premere; vſitatiſſimum Tho-
mæ fuit. Atque inde, cernere
erat imaginem, ex multo
oris attactu, contracto
ſqualore horridulam,
at multæ pietatis
veſtigijs gratio-
ſam.

CAPVT III.
Conformitas cum Diuina voluntate.

CElsiorem assequi dignitatem, sortem nancisci beatiorem potest nemo, quàm vt fiat amicus Dei. altiùs, quo Sancta ambitio connitatur, non habet. Porro amicitiam humanam in consensione voluntatum, sitam esse, verissimè censuit Sapiens Ethnicus. Eadem, inquit, velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est. Nec verò alia est ratio amicitiæ Diuinæ: Ex omnium sapientum Christianorum sensu, consistit & illa, in humanæ voluntatis cum Diuina consensu: quem vulgò Conformitatem appellamus, virtutem tam intimam amicitiæ Dei, vt quicunq; eâ polleat, nefas sit dubitare, esse amicum Dei. Huius igitur tam beatæ sortis, haud exsortem fuisse Thomam, dicta pariter & facta ipsius, abundè docuêre. quæ quidem quis omnia recenseat?

vnum & alterum sint specimen reliquorum. Homo ab omni iactantio alienissimus, auditus est aliquanddixisse: sibi nihil non ex animi sententia, votoq; cedere: planeq; nihil vnquam euenire nolenti. Mirantibus; qui id in tantâ rerum humanarum inconstantiâ, euentorumque nunc lætorum, nunc tristium varietate fieri posset? respondit: absit equidem, vt ego quidquam velim, nisi quod vult Deus. Atqui, si demas peccatum, omnia seu aduersa, seu prospera fiunt volente Deo; igitur & me volente.

Numerosum pecorum gregem absumpserat Thomæ pestilens lues. Frŏte ille exporrectâ, solitoq; amæniore vultu, ingressus ad Collegam; (is erat Erasmus Kretkowski in paucis amicus Thomæ) amplexatusque eum, Obsecro, inquit, Frater mi dulcissime, age gratias Deo pro singulari beneficio mihi nunc præstito. Quærenti quodnam illud esset? respondit: omnia mihi pe-

hi pe-

hi pecora peſtis ſuſtulit. Fecit me Dominus Iobum: non aliud ergo dicam, quàm quod ille: Dominus dedit: Dominus abſtulit: Sit nomen Domini benedictum. Tam abſoluta numeris omnibus cum Dei voluntate conſenſio, in magnam rapuit admirationem Collegam: reputantem videlicet ſecum; parum fuiſſe Thomæ tantam rerum ſuarum iacturam in æquo animo tuliſſe; niſi etiam tuliſſet læto; niſi iacturam in beneficio ponens, gratias egiſſet Deo; niſi alios quoq; ad agendas inuitaſſet.

CAPVT IV.

Fiducia in Deum.

Viuax fides de Prouidentiâ Dei, quòd quæ condidit, gubernet; & quidem non minorem impendens curam ſingulis, quàm vniuerſis; aut minimis, quàm maximis; quòd pro omnipotentiâ ſuâ, nihil non poſſit, & qua ſapientiâ eſt, meliùs nouit, quid

nobis conducat: & quâ bonitate, bene uolentior, fauen tior, ac melior sit nobis, quàm nos nobis; Hæc inquam, veritatibus fidei constabilita persuasio, pariebat in Thoma illam insignẽ fiduciam, quá velut carissimus filius, in sinu optimi & potentissimi Patris positus, securus agebat, omnem solicitudinem proijciens in eum, cui nec facultas prouidendi sibi de omnibus bonis, nec voluntas deesset.

In tantâ assiduitate, contentioneq; laborum, quos in conferendis Confirmationis, & Ordinis Sacramentis; ac præsertim consecrandis Ecclesijs, altaribus, campanis, haud modicos esse constat; contingebat identidem, vt lassum corpus viribus destitueretur, ac febriles pateretur alterationes. neq; tamen idcirco à cæpto opere desistebat. Cumq; comites commiseratione ducti hortarentur, vt nonnihil interim quietis caperet, haud satis æquo animo videbatur excipere mi-

serentium

ſerentium voces. tum fiduciâ in Deum erectus dicebat: equidem ſuppeditabit mihi adhuc Deus vires. nec fiducia irrito ſtetit. breui enim ægreſcenti corpori, valetudo vigorque redibat. Cùm ea res comitibus admirationem cieret, leniter increpitans eos, modicæ fidei arguebat.

Peragrando Diæceſim, ingreſſus erat Thomas regionem aſperis montibus, ac teſquis horrentem. Rogationum dies tum proximè imminebant. Hîc metuere comites, ne non ſuppeteret illis conueniens pro ratione temporis cibus, attentâ locorum conditione piſcinis carentium, eſum piſcium deſperauerant: palamque, quod in ſimili Apoſtoli dicebant: Quid hîc manducabimus? Reſpondebat Thomas verbis Domini: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & perâ, nunquid aliquid defuit vobis?* Hiſce tum, & alias erigebat ſuorum animos. Ac ſanè, quod diſcipuli Domino reſpõderant

nihil

nihil sibi defuisse; hoc idem ipsi experti sunt: tantâ eo loci nobilissimorum piscium affluente copiâ; quantam nusquam alias meminissent.

C A P V T V.

Deuotio erga Virginem Dei Matrem, & Cælites.

POst Deum, erga Deiparam, eximiè affectus fuit: cuius vel sola mentio pias lacrymas illi ciebat. Florebat tunc, ad sacram Diuæ Barbaræ ædē, Assumptæ Deiparæ, Nobilium dicta, Congregatio: Sigismundi III & Vladislai IV, Regum, Bernardi Maciejowski S. R. E. Cardinalis, Nunciorum S. Sedis Apostolicæ; plurimorum tam Ecclesiastici, quam secularis status Regni Senatorum, aliorumq; dignitatibus & Officijs eminentium personarum, nominibus in eadem datis, & pietate inclyta. Eidem Thomas, quò stabilius cultui Deiparæ sese manciparet; dato nomine; mirum, quantum

quantum ſodalibus egregiæ pietatis erga Deiparam, cæteræq; Sanctitatis exemplis præluxerit. Quare eum præoptabant, & quòad per occupationes id oneris ei ſubire liceret, preligebant ſuæ Congregationis Præſidem. Quater creatum, in Albo Congregationis reperio. Roſarium B. Virginis, quaſi aſſiduè manibus tractabat: ſeu domi ſeu in Eccleſia; ijs etiam cantatarum à ſe Miſſarum interſtitijs, quæ muſici concentus ſibi vendicant. Atque ex hoc perfrequenti, ſperq; pio precatoriorum globulorum vſu profectum eſt, quod à pictoribus vulgò ſpecie orantis manibuſq; ad pectus compoſitis corollam Beatæ Virginis tenens, ac veluti verſans, pingatur. Horariæ laudes, vulgò Officium B. V. nuncupatæ, quotidianum erant tributum, quod Dominæ ſuæ exactè pendebat.

Dies ex Eccleſiæ præſcripto Deiparæ cultui dicatos, præcipuâ traducebat-

bat veneratione: nullum ſanè prætermittebat, qnin cum alijs pijſſimis obſequijs, tum cantatâ ſolenni ritu habituq; Pontificio Miſſâ, redderet celebriorem.

Loca beneficijs Potentiſſimæ apud Omnipotentem filium Matris ſuffragatione obtentis celebria, peregrinationibus, donarijs, cæteroq; cultu proſequabatur. Myslenicijs extat imago B. V. ſudore ſupra vim naturæ profuſo, impendentium regno malorum prænuntio, vt credebatur, indice celebris. quod quidem miraculum ſerio examini ab officio legitimo ſubiectum & approbatum fuit Eo diuertens Thomas deuotionis pariter erga B. Virginem & humilitatis actum exercuit. Nam Sacrificium incruentum ad imaginem obtulit, clam verò donarium liberale pluteo imaginis ſubiecit. Quod cum nihilominus curioſior quidam actorum eius obſeruator presbyter Religioſus aduertiſſet

tisset, admonendum curionem putauit, veritus ne oblatio argentea Sacrilegi ausûs cuipiam præberet ansam.

Sanctos, eorumq; Reliquias impensè venerabatur, & vt frequens ei erat in consecratione altarium earum vsus, peculiari cautelâ, reuerentiâque tractabat. Præcipua illi in æstimatione, amoribusq; fuit, Crux sacris reliquijs grauida, olim insigne Pontificiæ dignitatis, S. Caroli Borromæi, à quo donata Stanislao Hosio, S. R. E. nominatissimo doctrina & pietate Cardinali, ad Martinum primò Cromerum, in Episcopatu Varmiensi Hosij Successorem; tum ab hoc ad Paulum Dąbski, Suffraganeũ Cracouiẽsem; demũ ad proximũ Pauli Successorẽ, Thomã Oborski, peruenerat. Eam hoc tempore, tertius à Thoma in Suffraganei munere Successor, eiusdemque nepos, ac virtutum æmulus, Nicolaus Oborski; cum ob ipsorum sacrorum pignorum, tum tanto-

rum virorum, quibus in vsu fuit, Sanctitudinem, ac venerationem, in Thesauro Ecclesiæ Cathedralis asseruari voluit; non nisi pro Solemnioribus actibus ad vsum Suffraganeorum promendam.

Quotidie manè, adibat Ecclesiam Cathedralem, eaq; propter studio elegerat ad habitandum arcenses ædes, templo propinquas. Atq; vt est, ea Basilica Stanislai Martyris, &, qui cum raræ Sanctitatis opinione vixerunt, & decesserunt, Ioannis Grot, Prandotæ, Cracouiensium item Episcoporum, sepulchris, alijsq; præterea plurimis, & nobilissimis Seruatoris nostri, & Sanctorum Reliquijs inclyta, nunc hæc, nunc illa venerabundus adibat sacra monumenta: prout spiritu deuotionis agebatur; cuius impulsu, non raro se ab consessu Collegarum repente subducens, ad aliquod sacrorum pignorum, genibus accidebat.

CAPVT VI.

Humilitas

HActenus superioribus capitibus prosecutus sum, eas Thomæ virtutes, quæ peculiari ratione Deum ac Cælites respiciunt. Iam verò ex ijs, quæ hominis animum in se ad se, ritè componunt; nec tam alijs, quàm habenti prospiciunt, meritò prima sese offert, quæ est fundamentum cæterarum: ea scilicet temperantiæ pars quæ modũ appetitui excellẽtiæ ponit, & vulgò iam, solis, quoad sciam, Christianis vsurpato vocabulo, Humilitas appellatur. Virtus Diuinæ, & humanæ gratiæ conciliatrix, è cælo in terram cælestiũ donorum copiam euocans, ad ea capienda animæ: dilatans sinus, ac demum Spiritui sancto, in corde hominis, quietissimam ac tutissimam præstans stationem. Hac igitur spiritualium præcipuè cõmodorum tam feraci virtute, haud facile dixerim, quantum præstiteri, ali-

jſque præiuerit Thomas Ex profunda proprij nihili cogitatione orta, ac frequentiſſimis actibus, in habitum, & veluti in naturam verſa, congenita illi eſſe videbatur. Eam porro ipſe, factis ſemper magis quàm dictis exhibuit. Quæcunque æſtimationem ſui parere poterant, norat conſtanti ſilentio tegere: laudes ſuas non ſolùm pronis auribus non excipere, ſed & laudatores auerſari: quidquid boni; ſtudio, ope, operà eius effectum eſſet, Deo ex integro tribuere: Eleemoſynas liberales, quoad poſſet, largiri occultè, vt planè neſciret ſiniſtra, quod faceret dextra: pauperes comiter affari; non à perſonis; non ab occupationibus vilibus abhorrere. Ipſe cubiculũ, ipſe luto perlitos, calceos, proprijs manibus purgabat: pueris interim ſopore oppreſſis productiorem indulgens ſomnum: eò quòd diceret eos, dormiendo potiſſimùm creſcere. Non rarò, iam Epiſco-

pus

pᵃ, ſuas ipſemet ſarciebat veſtes, quod cùm in diuerſorio quodã feciſſet; (veſtimentum quoddam humilius refecerat:) & acum commodatò ab hoſpite acceptam reſtituere oblitus, viæ ſeſe dediſſet: re, aliquot poſteaquam milliaria iam confeciſſet, animaduerſa; continuò acum per famulum equitem remiſit: ne vel minimum quid, penes ſe remaneret alieni. Minuta hæc cuipiam, aut etiam riſu digna, videri poſſint; ijs præſertim; (vt quidam rectus æſtimator rerum in ſimili ait:) qui in profanis hiſtorijs, euerſiones Regnorum, exciſiones vrbium, oppleta claſſibus maria, conſtratos cadaueribus campos, cruoris flumina legere aſſueti, dum huiuſmodi facinora, velut ſola magna, ſuſpiciunt, quid aliud quam grandia ſcelera mirantur? Nam qui è diſciplina Christi, veri æſtimatores prodeunt; ſole veritatis æternæ, puras eorum mentes deſuper illuminante, nequa-

quam minima esse ducunt, quæ maximarum virtutum (vti hîc humilitatis & iustitiæ) effecta iuxta, ac documenta existunt. Sæpè minuta in superficie terræ auri ramenta, grandes intus reconditos thesauros indicant: & profani etiam iudices, non minùs in subtilissimis operibus, quàm in vastis molibus, eximiorum artificum, & præstantiam agnoscunt, & celebrant encomia.

Cultus corporis, non rarò indicat, vel tumorem, vel modestiam mentis. Medius quodam modo erat Thomæ: vt nec squalore inusitato, nec exquisito nitore, hominum oculos in se conuerteret. Materies amictus Episcopalis, intra decorum status, infimi pretij. Serici pretiosioris vsum studio vitauit, quòd diceret Episcopum haud decere. Vidi præsentatam mihi ab Reuerendissimo eius nepote, sotannam; meritò inter sanctioris memoriæ pignora referendam,

cum

cum ob Sanctitatem viri, tum ob qualitatẽ materiæ, modestiæ indicẽ.

Hanc ego postea vestem ab Reuerendissimo Nepote impetratam S. Petri Collegio, Rector tunc eius applicui & in Sacrario Basilicæ reposui vsibus à Deo ordinatis seruituram. Dedi eidem eiusdem cingulum Episcopalem, cuius post diuturnos & acerrimos calculi cruciatus applicatione, me ex integro sanatum inferius Cap: 16. libenter recognoscam. Dedi præterea duas epistolas, vnam ad Vladislaum IV. Poloniæ Regem; alteram ad S. M. Patrem Nicolaum Lancicium tunc Collegij S Petri Rectorem, vtramque manu ipsiusmet exaratam. quarum occasione adieci insuper complures P. Nicolai Lancicij literas ad me ex varijs locis datas, vt pote sanctitatem spirantes. Faciat Dominus cum his quod ipsi è re maioris gloriæ suæ visum fuerit.

CAPVT VII.

Contemptus Honorum.

HVmilitatis matris glorioſa proles, teſtiſque veraciſſimus, honorum contemptus, ſpecialius in Dei ſeruo enituit: quippe qui rariſſimo exemplo, quo omnem ambitioni ad ſe aditum præcluderet, votum emiſerat, non admittendi vllas vnquam Eccleſiaſticas dignitates, quod quidem votum ſolo Deo conſcio factum, qua occaſione poſtea patuerit, libet hic attexere, ex Annalibus Congregationis Beatæ MARIÆ Virginis Aſſumptæ, in Domo Profeſſa Cracouienſi, Societatis IESV ad Eccleſiam S. Barbaræ, dudum erectæ. Librum hunc miles Suecus, expilando Domum Profeſſam, inter cæteram prædam rapuerat: atq; vt erat, & magnitudine & elegantia viſendus, multâ præſertim inauratione ſplendidus, redimendum Ciui Catholico obtulerat. Diſceptatum aliquandiu de pretio:

tio: securi intentatâ minitari Suecus, in partes minutas se librum sectu-ru n, ni postulata pecunia numeraretur. Conuentum tandem de pretio, auctiore nonnihil, quàm primitus Ciuis obtulerat, verùm longè inferiore, quam aut valor rei, aut cupiditas militis flagitabat. Demum, post aliquot annorum interualla, prætereunti fortuito, Sacerdoti Domus Professæ, beneuolè à Ciue oblatus liber, suaui Diuinâ prouidentiâ opportunè disponente, eô ipso plane tempore, venit in manus meas; quo moliri hancce virtutum Thomæ enarrationem cæperam. quippe vix aliquot paginas, leui contentorum animaduersione, euolueram, cùm incidi in titulum præfixum, hisce disertè verbis. (Insigne demissionis animi exemplum, datum omnibus ab Perillustri & Admodum Reuerendo Domino Congregationis nostræ Præfecto, dum Suffraganei & Officialis

Generalis Cracouienſis honorem ſibi delatum pro poſſe fugeret;) tum facti ſubſequitur narratio quam vti diffuſiorem contractiore nonnihil adſtringo ſtylo.

Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Antiſtes Cracouienſis Petrus Tylicki, vir magni iudicij, & vineæ ſibi diuinitus creditæ peruigil cuſtos, cultorq́; perſtudioſus, cum diu multumque ſecum deliberaſſet, quemnam ſibi Suffraganeum & Officialem in locum defuncti deligeret, negotio Deo, per ſe, & Religioſos viros commendato; vtramq́; dignitatem Thomæ Oborski detulit, qui gratijs actis, reſpondit: ſe dudum firmiter apud ſe ſtatuiſſe, nullam dignitatem Eccleſiaſticam admittere: viuere ſe, porroque victurum præſenti ſua ſorte contentum. Repulſam Antiſtes paſſus, iam aliò verterat curam. nec deerant, qui pro ſe vtramque dignitatem ſolicitè ambirent. Sed

cùm,

cùm, Deo ita ordinante, variarum interuentu circumſtantiarum, diu nihil fixum ſtatueretur, nec vltra conatum res procederet; factum eſt; inſtinctu, vt creditur, Dei: qui lucernam hancce nequaquam ſub modio latere, ſed in candelabro dignitatis Eccleſiaſticæ expoſitam omnibus lucere voluit: vt Antiſtes priſtinas cogitationes, ſtudiumq; reſumeret. Itaque vālidum ad expugnandum Thomæ animum arietem adhibet, directorem conſcientiæ eius. Is erat Pater Fridericus Schembek Societatis IESV Theologus, idemq; Pater dictæ nobilium Congregationis, vir propriæ iuxta, & alienæ perfectionis perſtudioſus: tractatione armorum Spiriualium, præcipuè exercitiorum S. Ignatij, inſtitutione ſpirituali iuuentutis, crebris inde animarum lucris celeberrimus; vt vulgò appellaretur, vernaculo quodam vocabulo *Lapidußa*, quod Latinè venatorem ſeu

aucupem

aucupem animarum verteris. Is igitur ponderosis rationum momentis, Thomam aggressus, pressiùs institit, ne dignitates ab Antistite, solo maioris Ecclesiæ boni intuitu oblatas, defugeret; neue eas, vt honores, sed vt onera pro maiore Dei gloria portanda subiret; demum religione tangeretur, si Deo legitimè per Superiorem vocanti, resisteret. Ad iteratum, de quo iam minimè cogitabat, insultum, exhorruit Thomas. Tum collecto animo, ne te, inquit, pluribus occupē, teneamque suspensum; scito me, emisso voto, omnem mihi aditum ad Ecclesiasticas dignitates præclusisse: Christi, in honorum fugâ, vestigijs velle insistere: ab Creatore in cælo, quàm à creaturis in terra, honoribus exornari malle, quare missum se omnino faceret, nec in persuadendo frustra laboraret. Contra P. Fridericus, gnarus; quantum totius amplissimæ Diæcesis interesset, talem

Suffra-

Suffraganeum & Officialem nancisci, non ideo vrgere destitit Ex grauiorũ Doctorum sententia, haud tenere votum in talibus circumstantijs: quorum auctoritati si acquiescere nollet; posse & debere in melius commutari: in labores scilicet, quos Suffraganei Officium in tam amplâ Diæcesi secum ferret, & plurimos & maximos. Non esse proinde, quod conscientiæ suæ metueret; esse verò; si Deo vocãti resisteret. Hominem tenerrimæ conscientiæ, religione iniecta maximè percussum, mensem circiter deliberatio tenuit. Donec missis ad singula cænobia eleemosynis, Deoque per homines Deo dicatos consulto, vix tandem Theologicis rationibus, authoritati directoris propriè conscientiæ, legitimæ potestati, ac per eam Deo haud dubiè; (vt post effectus abundè monstrauit,) Deum quodammodo propter Deum relinquens, manus dedit. Hæc ex Annalibus Congrega-

gregationis, cuius tunc præfectum agebat. Et verò; solo tum maioris gloriæ Diuinæ studio, id oneris Thomam subijsse; constans postea, eminentiorum etiam & opulentiorum dignitatum neglectus, luculenter docuit. Nam & Episcopatum Chelmensem, & opimam Claræ tumbæ Abbatiam, cùm Constantiâ, Regina fauorem & operam suam apud Sigilmundum III. magnum virtutis æstimatorem, deferente. nullo negotio obtinere potuisset; adduci non potuit, vt vel vno digito in eam curam incumberet. deniq; rarus honorum, opumq; contemptor, vnico duntaxat beneficio quoad vixit, contentus fuit.

C A P V T VIII.

Patientia.

COgnata humilitati patientia, & aliarum lapis lydius virtutum, quàm præsto semper fuerit Thomæ; ad omnes iniurias, & incommoda superan-

peranda; editis ab ipſo heroicis eius exemplis luculentiùs conſtabat. Agẽte adhuc in viuis Thoma, vir primæ inter Perilluſtres Collegas auctoritatis, Eraſmus Kretkowski Archidiaconus Cracouienſis, inſignia complura virtutum Thomæ, ac præcipuè humilitatis, ac patientiæ facinora demirans, ac dilaudans, id quoq; inter alia, me audiente retulit. Collato pluribus; in cuiuſpian vici Eccleſia, Confirmationis Sacramento; vaſiſq; ſacris arcæ, arcâ currui impoſitis, currum iam aſcenſurus erat, cùm ſuperuenit mulier, poſtulans tingi Sacro Chriſmate. Iuſſit ille mox arcam cum ſacro apparatu curru deponi. Enimuero famulus id indignè ferens, arcam, eo impetu ex curru eiecit, vt ſacer apparatus per terram paſſim ſpargeretur: tum conſcenſo equo, bombardaq; exonerata, furibundus abijt. Patienti Thomas, tranquilloque animo, vecordem famuli proteruiam fe-

rens

rens, ad colligendum proprijs manibus apparatum, se contulit: nec nisi administrato mulieri Sacramento, viæ sese dedit.

Erat Thomæ ab obsequijs sacris Præsbyter, cuius nomini aliàs non ignoto parco: is animi impotens, moribus asper, verbis mordax, quibus non verborum aculeis, Episcopi heri vtiq; sui, exercebat patientiam? Qualis tu mihi, aiebat, Episcopus? nomine tantùm non re: titulum habes non vitulum: tum admiratione irrisoria, exagitans cognomen Oborscij à stabulo dictum: atqui pecora, inquit, in stabulis nascuntur. Hæc & huiusmodi alia, spiritu Bricciano, Præsbyterum effutientem, excipiens Episcopus spiritu Martiniano, non indignationem prætulit: non asperius regessit uerbum: sanctus tanquam non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Sanè pro potestate, qua pollebat herili, potuit tam in famu-

famulum quam in Præsbyterum, condignis pœnis, animaduertere, nisi cedens improbitati, patientiæ maluisset, quâm potentiæ præbere documenta Casus: qui non citra famulorum culpam cum periculo vel damno Dominorum incidennes, multam alijs bilem accendere solent; clementer sedateq; ferebat. Euerterat aliquando Auriga tanto impetu currum; in plana (vt omnibus videbatur) via; vt ex quatuor ferreis fulcris, testudinem lecticæ sustinentibus, vnum quidem frangeretur, reliqua curuarentur Iaculatus alius quispiam verborum fulmina, ossifragium aut sæuos ictus minatus fuisset: vel etiam subitam iram, in diram acuisset lanceam: at Thomas, verba duntaxat aliquod lepidê prolocutus, quibus indignatio Comitum in aurigam coorta sedaretur; mos tibi est, inquit, latum collare ad pallium requirere, currum autem nescis bene regere,

In conuentu Canonicorum, statis diebus cogi solito, qui vulgò Capitulum vocatur, is qui ei tunc præerat, vir cæteroqui laudatus, nescitur ex qua causa, ira aduersus Thomam sũptâ, futili prætextu vehementiùs institerat, vt ab concilio interim facesseret; ne verbo quidem obnitens paruit Thomas, iamq; ex consessu abibat: verùm præcipui Collegarum, rei indignitate, cõmoti, modestè pariter & cordatè obstitêre: sibi quoq; si ille abiret, abeundum cum eo fore, profitentes. Quà erat simplicitate, moribusque ad normam seculi minimè exactis, patiebatur nonnunquam à nominatis etiam uiris, sed sui dissimillibus, scommata & reprehensiones: constanti patientia, animiq; æquitate, tolerabat talia; non indignari, non repungere, non expostulare cum inferentibus iniuriam, non apud alios conqueri silentio deniq; & obliuione omnia transmittere, perpetuum illi

illi fuit. Quæ res eò maioris apud Deum meriti, maiori hominibus admirationi, ac internæ eius perfectionis illustrius extitit argumentum, quò prædominante bile feruidius Thomæ ingenium natura erogauerat vt non nisi peruigili cura, assiduo luctamine, certaminibus iuxta & victorijs plurimis, ea ipsi, patientis quorumlibet aduersorum euentuum animi, sancta habitudo constiterit.

Quanta verò animi vi, naturali ad iram propensioni, ne in offensam Dei erumperet obsistere solitus fuerit, inde perspicitur; quod quoties persentiscebat ex obiecto quopiam molesto bilem vehementiùs inardescere, iactabat sese pronus in terram, pansisq; manibus ac vultu terræ hærens, corde & ore clamabat: Diligo te Domine, super omnia. Haud sanè cum tali actu, malum culpæ consistere poterat. Sentiebat, non consentiebat: illud erat naturæ, hoc virtutis. quin

ex suborta ad malum propensione velut gradum sibi faciens, ascendebat ad sublimissimum dilectionis Dei actum, omne malum excludentem, summum bonum promerentem.

CAPVT IX.

Magnanimitas.

CVm præstanti modestia, & humilitate inerat Thomæ coniuncta par animi magnitudo: Sapientissimo donorum suorum largitore, ac in excolendis, ornandisque animabus summo artifice Deo, contrarias etiam in speciem virtutes (neque enim re ipsa aut sunt aut esse possunt contrariæ, alioqui virtutes non essent:) humilitatem, inquam, & magnanimitatem, ita artificio gratiæ suæ attemperante, vt neutra seruo suo deesset, & altera alteri minimè obturbaret. Cætera, vt supra memoratûm, egregiè humilis, tunc præcipuè celsitatem animi exerebat, cùm de honore DEI, aut

immunitatibus Ecclesiæ ageretur. Tunc enimuero non personas respiciebat, non vultus potentium reuerebatur. Et quamuis edomitos haberet affectus; neque eòs vltra præscriptos à ratione terminos euagari sineret; nihilominus cùm res poscebat, non secus atq; accipitres aut canes immittebat, in sontes & elatas mentes. Documenta magnanimitatis eius aliqua promo

Vir quidam genere prænobilis; verùm vnus ex ijs, de quibus psaltes: *non proposuerunt Deum ante conspectum suum, Psal: 53.* & *non est timor Dei ante oculos eorum: Psal: 13.* is inquam Deum cupiditati suæ postponens, Virginem; studio castitatis, nuptias ipsius declinantem, eaq; de causa arctiore votorum vinculo, obsequio Dei ac Religiosæ vitæ mancipatam; portâ monasterij nitrato puluere eiectâ, sacrilego ausu raptam, incestis nuptijs copulauerat, Vehementer tam e-

norme ſcelus commouit, cùm ſæcularis, tum præcipuè ſpiritualis ſtatus homines. Quid ille non dixit? quid ex ſua parte non egit? ne impunitas ſceleris teterrimi exempli, eſſet alijs illecebra peccandi. Multatus ille quidem erat grauiſſimis pænis, Eccleſiaſticâ ſimul & ciuili proſcriptione? at cùm cognatus eius, potentiſſimus procerum, honori familiæ conſultum volens, non parum pro eo laboraret; & apud Summum Pontificem, ad Eccleſiaſticam cenſuram; & apud Rempublicam, ad infamiam tollendam; Thomas tantum crimen indignum præproperâ indulgentiâ ratus; nequaquam reſpiciens vultum potentis, magna libertate palàm inuehebatur in eum; aduerſus quem, propter formidandam omnibus potentiam, vix aliquis etiam magnatum hiſcere auderet.

Vt eſt licentia militaris, abſentibus præſertim Ducibus; haud modi-

cis iniurijs & damnis miles in statiuis agens, bona quædam Ecclesiastica afflixerat. Re cognitá, ac plurimùm super pauperes subditos miserescens Thomas, acres mox, ad Supremum exercituum Regni Ducem, exarauit literas, quibus immunitates violatas, pauperes oppressos, grauissimè conquestus, censuras insuper Ecclesiasticas, & vindictam cælestem Duci intentauit. Metuens porro famulo literas deferenti; ne ab homine vehemẽtis naturæ aliquid pateretur; iussit, redditis per alium literis, nullâ ibidẽ factâ morâ, reditum maturare. Bene ea libertas, Ecclesiastico viro digna, cessit Thomæ. Nam tametsi Dux, lectis literis, non leue commotionis animi indicium dedisset, requisiuissetque, quisnam attulisset literas; vt erat tamen non virtutum minùs, quàm victoriarum ex hostibus reportatarũ, laude præcellens, tum de insigni Sanctitate Thomæ vulgâtissima opinione

>æ imbutus, victor & ipse sui, facto ipso perbeneuolè respondit: cùm ex bonis Ecclesiasticis militem facessere confestim mandauit.

Ab obitu Episcopi Cracouiensis, administrabat Thomas Episcopatum. Successor Episcopi duntaxat nominatus, vir Primæ in Regno auctoritatis, non acceptâ ab administratore expressa licentiâ, vsurpauerat nonnullam spiritualem functionem, quæ ei necdum de iure competebat. Non dubitauit Thomas ex eo percōctari, quânam potestate id fecisset? Respondente; factum à se in ratihabitione: festiue iuxta ac liberè Thomas, quid si, inquit Diabolus non intelliget, quid sit ratihabitio? Quidam è Clero non postremæ notæ, obuiū fortuitò Thomam salutare ambiebat. Retraxit dexteram Thomas: negans se id ei officij præstare posse, Quoad vinculo excommunicationis teneretur: tum vt quamprimum exsolui curaret; grauiter

ter admonuit. Atq; hæc cordata agendi ratio, vt vulgò cunctis nota, animisq; præcepta, citra asperitatis notam, offensamuè cuiusquam, perpetua illi in similibus occasionibus fuit.

CAPVT X.

Mortificatio.

QVantum ad animi comparandā, augendam, tuendamq; puritatem conferat, seuera in carnem rebellem animaduersio; & exemplis Sanctorū, & verò, magisterio Diuini spiritus, edoctus Thomas, mortificationem Christi, iugiter in corpore suo, castigans illud, & in seruitutem redigens, portauit. Frequens illi cilicij vsus, qui interdum motu corporis, quasi molestum sensum excutere nitentis, alijs ad id magis quàm ipsomet, aduertentibus, prodebatur: flagellis in se atrociter nonnunquam, prout locus tempusq; sinebat, vrticarum mor-

ſibus, ſæuiebat. Ea omnia incommoda, quæ longæ peregrinationes ſecum ferunt, pari & ſubijt alacritate, & cõſtantiâ tolerauit. Nam Vrbem, Limina Apoſtolorum viſendi, cæteræque pietatis causâ, bis pedes adijt. Egreſſus Cracouiâ, cum triginta peregrinationis ſocijs, cum quinque dumtaxat comitibus, Romam attigit: reliquis, ſiue quòd corporis ſeu quòd animi impares vires, attuliſſent, properantem aſſequi non valentibus itaq; intra trimeſt e ſpatium, totam peregrinationem obijt: cùm Romæ tres integras hebdomadas, commoratus fuiſſet.

Lectus illi palâm decenter ſtratus, ad ſingularitatis notam euitandam, non ad ſomnum capeſſendum: neq; enim in eo vnquam decubuit: ſed ordinarium ſtratum ipſi erat, ſaccus ex rudi tela, fartus ſtramine, quem quoties Diæceſim obibat, aliudvè faciebat iter, vacuum circumferebat. Is in

diuer-

diuersorio, vbi pernoctaturus erat, stramine aut fæno implebatur, eratq; plumarum loco: quanquam id quoq; genus strati, cùm ei molle videretur, in scamnum vel humum, lassum reclinabat corpus. In quodam diuersorio à patrefamilias curiosiùs per foramen ostij, quid Thomas ageret inspiciente, obseruatus est, posthabitá lecti commoditate, in terram se tenui duntaxat tapete instratam, abiecisse. Mensa pro conditione accumbentium non illiberalis; intra tamen limites modestiæ, nec solùm ipse studebat temperantiæ, verùm etiam cauebat studiosè, ne conuiuis quos tractabat, excedendi in potu præberet ansam. Itaq; quoties caritatis mutuæ conciliandæ, augendæq; gratiâ; excipiebat mensâ Perillustres Collegas; suppeditabat vinum præstans pro dignitate personarum. in certâ tamen singulis mensurâ, quæ & excessum arceret, & corpori, animoq; recreando

ſatis eſſet. Quod & ipſe gratioſè faciebat, & conuiuæ accipiebant iucundè, feſtiuis interim iocis ludentes, in eam ad metiendi vini ſolicitudinem. Ludos, quibus alij nonnihil otij, ſaluis decori legibus, impendunt animorum à curis laxandorum; fallendi temporis gratiâ; nec ipſe vſurpabat: nec ab alijs, vbi periculum adeſſet Diuinæ offenſæ, vſurpari Domi ſuæ ſinebat.

CAPV XI.

Caſtitas.

NEmo erat, qui in materiâ caſtitatis ſiniſtri quidquam de Thoma proloqui auderet: Præcellente Sanctitatis opinione, tenues etiam ſuſpiciones depellente: quam opinionem factis aſſerebat. Solus in conclaui interiore capiebat quietem; nemine etiam epheborum, qui ad obſequia præſto eſſet, admiſſo. Inuitatus à Magnate quodam ad conuiuium, poſteaquam

quam aduertit; matronam quandam melioris formæ quàm famæ, eidem mensæ accubuisse, negauit ad eam locum sibi esse. Retinente comiter Magnate, conuiuis ad latus sitis, egressum negantibus, per calcatam mensam ab dedecoro sese eripuit consessu. Erat Thomæ perpetis martyrij instar, morbi genus quoddam: medici (Dysuriã) appellant. Hæc verò in postrema ægritudine, ita inualuerat, vt ad suprema eum deduxerit. Varijs tentatis remedijs, nec quidquam proficientibus, obtulerat operam suam non nemo chyrurgorum, spondens, se beneficio certi instrumenti amotis obicibus, vijsque laxatis, prægrauatē retento humore, naturam leuaturum. tametsi licitum remedij genus, erat tamen arduum, nec satis certum, & pudibundo homini valde contrariũ. Quid plura? præoptauit Thomas potiùs mori, quàm vim verecundiæ suæ incerto euentu inferri.

CAPVT XII.

Labores.

DE his vtique compendio (quis enim omnes recenseat?) in præsentiarum loquimur: quos cultu Diuino promouendo, salute plurimarū animarum procuranda, triginta præsertim annorum, quibus munere Episcopi functus est, curriculo exantlauit. Itaq; citra exaggerationem ausim dicere paucos admodum nunc cultores vineæ Christi reperiri; qui cum Thoma, magnitudine, assiduitate, tolerantiâ laborum, ex æquo certare possint. Porro, ad capessendos labores, etsi præcipuè maior Dei gloria, salus proximorum, ratio officij animum eius incitabant, non minimū tamen calcar addebat, memoria voti quondam emissi de non admittenda vlla dignitate Ecclesiastica. quod quia commutatum sibi reputabat in laboriosas Suffraganei functiones, religione se teneri arbitrabatur ad eas quàm

exa-

exactiſſimè obeundas. Præcipuorum laborum numeroſam ſeriem; in Diario eius adnotatam, ac Epitaphio, quod in Baſilica Cathedrali extat, ſummatim inſertam, lectori de verbo ad verbum excerptam, appono. Ordinationes ſacras fecit CLVIII: quibus Præsbyteros creauit. MMCLXXXV. ſacrauit Eccleſias CXLIII. Altaria fixa DCCV. Altaria portatilia M. Calices MDCCLVII. Conſecrauit Epiſcopos VI qui nouit quàm operoſæ ſunt huiuſmodi functiones, non negabit vtique Thomam ſeruiuiſſe Chriſto, vſque ad defatigationem. Neque ſolùm in virili ætate, ſed etiam prouecta, atq; ad extremam vergente, ſtrenuè & mira alacritate, dicta munia exequebatur. Neq; hæc ſolùm officij ſui propria, ſed etiam ad alia Anteceſſoribus ſuis inſueta, ſpiritu actus Apoſtolico, ſeſe extendebat. Eluxit id potiſſimum in Apoſtolicis totius Diœceſeos peregrinationibus: quas

quas quo zelo, diligentia, lucrorum spiritualium siti pariter & prouentu obierit; sequenti capite explicatiùs proferam.

CAPVT XIII.

Zelus animarum.

IS enimuerò, cùm aliàs in totâ vitâ; tum præcipuè enituit, in lustrationibus Diœceseos (veriùs missiones Apostolicas dixerim) quibus vix quidquam in tota eius vita illustrius extitit. Fuerunt illæ, planè spectatissimum virtutum eius theatrum: officina meritorum: campus bene de proximis merendi amplissimus: quò Thomas, totis laxatis caritatis habenis, in salutem plurimarum animarum irrequietus ferebatur. Quod nemo ante factitauit; obibat Diœcesim: ampliùs quàm mille parochias complectentem: id quod faciebat, bis singulis annis: tres integros menses, vnicuique impendens missioni.

Porro,

Porro, talium missionũ, hæc ratio, & ordo subsidia fuêre. Ducebat secum semper, quatuor Præsbyteros: duos è Societate IESV: quorum functio perpetua erat, pænitentibus aures dare, concionari: rudes, fidei & morum doctrinâ, tum in Ecclesijs publicè, tum in domibus priuatim imbuere: nodos conscientiæ resoluere; discordes in mutuam gratiam reponere: dissidentes in religione Orthodoxæ Ecclesiæ restituere. Duo alij, domestici eius erant: vulgo Capellani dicti; quos morum integritate & doctrinâ, cæterisque talentis periddoneos, ad similes deligebat functiones: & obligatos esse; adiectâ hâcce disertè, cùm eos ad obsequia reciperet, conditione; volebat. Hi quatuor erant, Apostolicarum eius peregrinationum perpetui comites: ordinarij laborum socij: & in visitatione parochiarum, velut auxiliaria manus: ad suppetias Curionibus ferendas, ordinata. Cæ-
 terùm

terùm præter hanc ordinariam ma-
num; alij quoque ex vicinis pagis &
oppidis Sacerdotes, famâ aduentus
Thomæ, velut classico exciti, ad præ-
stitutum visitationis (quæ erat instar
magnæ celebritatis) tempus, frequē-
tes adesse solebant: quò, in partem
laboris venirent: in confessionibus
populi concurrentis maximè excipi-
endis: vt suo loco referam. Duabus
ante septimanis, quàm vnamquamq;
adiret Ecclesiam; præmittebat per fa-
mulum patentes literas: quibus pu-
blîcè in Ecclesia ex suggestu lectis, in-
uitabatur populus ad percipiendum
Sacramentum Confirmationis: præ-
uiamq; exemologesim. Monebantur
præterea Dynastæ locorum: quò sub-
ditis pro eo tempore immunitatem à
consuetis laboribus cōcederent: quod
quidem illi perlibenter faciebant; ne-
que solùm Catholici, sed (quæ erat
opinio Sanctitatis de Thoma) etiam
Hæretici. Quare ad stuporem nume-
rosissimus

rosissimus confluebat populus: Parochis ipsis admirantibus, tantam frequentiam; quantam aliàs in solennissimis etiam festis cernere, haud sibi contigisset, non solùm Ecclesiam, sed & cæmeterium confertim implebāt. Conspectu tantæ multitudinis, plurimùm delectatus Thomas, continere oculos non potuit; quin internum gestientis animi gaudium, prorūmpētibus lacrymis testaretur.

Per eundē famulum, præmittebat pecuniam, suæ & suorum sustentationi necessariam; maiorem vel minorem; pro numero dierum; quibus in rem cuiusq; Ecclesiæ commorari eum necesse erat: quippe nolebat Parochos vllo grauari sumptu, & si qui opulentiores renuebant accipere, ferebat ægrè; ac solito iam tristior assidebat mensæ: denique in discessu clam suppositam relinquebat Curioni pecuniam.

Vt primùm quampiam Ecclesiam

adijt; nullâ interpositâ morâ, solita munia aggrediebatur: atq; inprimis Sacramenti Confirmationis administrationem: cui præludebat semper, accommodato ad præsens negotium sermone, de naturâ, dignitate, effectibus Sacramenti id quod vel ipsemet faciebat; simplici quodam, naturali, ingenuo, citraq; affectatæ orationis fucos modo: vel per aliquem è duobus; quos secum ducebat, Societatis Præsbyterum. Intento Episcopalibus functionibus Thoma; familiares interim eius, tum alij, tum qui ex vicinioribus Parochijs ad constitutam Visitationis diem frequentes aderant Præsbyteri, per exedras, in templo & cæmeterio dispositas, distributi; toti erant in audiendis Confessionibus pænitentium: quorum tantus erat numerus, vt à summo mane (vix datâ sub meridiem reficiendo corpori aliqua quiete) ad mediam noctem, non rarò producerentur. Attendebat

ipse,

ipſe, ne quiſpiam ab excipiendis confeſſionibus diſtraheretur: ideòque ipſemet adminiſtrabat Euchariſtiam: quanquam cùm per alias occupationes liceret; dabat & ipſe aures confitentibus. Laborem vix tolerabilem, non parum expeditiorem, reddebat, præuia diligens, Cathechiſtica inſtitutio: ita vt pœnitentes ad Confeſſarios non accederent, niſi priùs in myſterijs fidei Chriſtianæ, præceptis Dei, modoq; ritè confitendi, ac communicandi inſtructi.

Iam verò Sacramentum Confirmationis, quò expeditiùs adminiſtraret, curabat confirmandos in duos diſtribui ordines: quam longa erat Eccleſia, protenſos: inter quos medius incedens; ac ad ſingulos accedens; cõferebat Sacramentum: Sellâ Epiſcopali interim vacante. adeò oblitus propriæ tum commoditatis, tum dignitatis; nonniſi populi vſibus ſeruiebat.

Deniq;libet hîc adtexere, quæ de magnitudine zeli Thomæ, oculatus gestorum eius testis, Pater Valentinus Sophronius, hisce perscripsit ad me verbis: Tolerabat Antistes Laodiciæ opprobria: rerum defectũ: cæli iniurias: animabus Deo reconciliandis intentus. calcabat fimeta: tuguria squallida ingrediebatur: vt interroganti quidnam illic ageret; respondere potuerit; gemmas ex stercore colligo: animas, inquam, pauperum, miserorum hominum, pro quibus mercator non insipiens, ipsa vtique Sapientia, Filius Dei, pretiosissimum Sanguinem, vitamque ipsam impendit. Hinc fortasse proficiscebãtur illa oscula, terræ; seu in campis seu in templis, frequenter ab eo infixa: quibus (vt credere fas est) Deum adorando; vel custodes hominum Angelos salutando: eorum simul opem postulabat: vt se suosque cooperatores, in animabus Christo Domino lucrãdis,

adiuuarent. Eũdẽ zelum teſtabantur lacrymæ: quæ erũpebant ex oculis eius, tam in itineribus quam in colloquijs ad menſam: cùm aliquid notabile de lucris animarum per exomologeſim factis narraretur. Ex hoc zelo, & amore erga animas, tantum illi inerat ſtudium conuertendi ad Deum proximos; vt cúm neceſſitas poſtularet, ipſemet confeſſiones vulgi exciperet, & propter inſtructionem rudium, libellos ſecum circumferret: ac denique, ſingulis diebus, à meridie ad populũ verba faceret, de Sacramento cõfirmationis & pænitẽtiæ: tantâ cõſtantiâ, vt ſi quando plures non adeſſent præſertim cùm iam è loco ad locum ſeu ad Eccleſiam aliam tranſeundum erat, tribus etiam hominibus doctrinam ſalutiferã inſtillaret. Hæc his ipſis verbis P. Sophronius. Ex quibus alijſque ſupra allatis, plura eiuſdem generis colligere licet: quæ hîc brevitatis ſtudio omittuntur.

CAPVT XIV.

Misericordia & liberalitas in pauperes.

SVper miseros, pio miserationis affectu, intimè commouebatur. Eum verò non verbis solùm, sed & lacrymis, demum re ipsa, submistrandis scilicet leuandæ miseriæ subsidijs, testatissimum reddebat. Quoties è domo prodibat, stipem manu sua largiebatur, & sequebantur, & occurrebant eunti: certi se Eleemosynâ non frustrandos. Cùm alios Ordines Mendicantes, tum Societatem IESV, cuius obsequijs ad suum profectum & aliorum salutem promouendam vtebatur; peculiari beneficentiâ prosequebatur. In Domum Professam vti ex instituto mendicam; absq; vllo bonorum immobilium, censuumuè subsidio, ex meris viuentem eleemosynis; impensior eius liberalitas extitit. Cùm alijs temporibus, tum præcipuè pro festis solennioribus, modò pe-

do pecuniam vſibus templi vel domus neceſſariam, occultè quidem, quoad poterat, tribuebat: modò villanæ munera gazæ, grandes frumenti aceruos, ac copioſum alitum domeſticorum numerum, inferri in domum curabat. Hoc verò, beneficentiam eius faciebat gratioſiſſimam: quòd non expectabat, vt ab eo leuamenta inopiæ peterentur; ſed vltrò, non rogatus tribuebat: præueniens etiam neceſſitates: ac per hoc modeſtiæ pudoriq; conſulens eorum, quos quantùm egeſtas impellebat ad petendum, tantùm, vel ampliùs, verecundia retrahebat. Occupatus aliquando luſtrandâ pro more Diæceſi, conſuetas, ſolito tempore non dederat domui Profeſſæ eleemoſynas: tarditatem redux compenſauit abundè liberalitate: miſſis, per vnum è noſtris laborum Socijs quadringentis florenis.

Inerat Thomæ perrara mortalibus virtus, pecuniæ contemptus. Quæ eſt

amplitudo Diæceſeos Cracouienſis, & incolarum frequentia, ſtatis ordinationum temporibus, magno ordinandi numero confluebant; quorum vnumquemque neceſſe erat teſtimonium ſuſcepti ordinis (literas formatas vocant) accipere, atq; pro more vſitato obtinendis illis aliquid pecuniæ impendere. Intuens aliquando Thomas Grandiuſculum huiuſmodi literarum cumulum, præſente tum P. Sophronio: Certè, inquit, Pater Valentine, non contemnenda hinc colligeretur pecunia. Erat nempe quod cuiuſquam alterius humanam habendi pelliceret cupiditatem: nec deerat rationabilis prætextus, eò quod huiuſmodi literæ non ſine aliquo ſumptu & labore conſtarent, Nihil vnquam accipiebat, aut à ſuis accipi ſinebat Thomas. quo loco ſuaui recordatione recurrit memoriæ prudēs dictum Sancti Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis. Nullas hic S.

Antiſtes deſtinauerat accipere à Sacerdotibus mulctas pecuniarias. Opponentibus amicis, Sanctum Elfegum anteceſſorem eius ſolitum accipere huiuſmodi mulctas, reſpondit Credite mihi non propterea Sanctus fuit. Sunt quædam ſanè, quæ haud illicitè fiunt, ſed laudabilius non fiunt. Elfegus accipiendo non incurrebat noxã. Edmundus inſuper merebatur gratiam: ille non deſtruebat; hic ædificabat: ille aberat ab auaritiæ crimine; hic etiam à ſuſpicione: in illo non erat quod reprehenderent boni; in iſto ne quidem quod carperent mali. Æmulamini o Prælati exempla potiora.

Thomas non ſolùm conſuetas non accipiebat obuentiones, ſed & inſuetas faciebat largitiones. Notum fidelibus, quanto ceremoniarum ambitu; quantâ Cleri frequentiâ pridie Paraſceues Epiſcopi conficiunt Sacrum oleum. Thomas quo celebrior actus

rede-

redderetur, neminem sacerdotum dimittebat, quin vnicuique 12. grossos nnmerari iuberet. Itaq; ex alijs etiam Ecclesijs promptè conueniebant ad pium & vtile obsequium.

Enituit is idem pecuniæ contemptus in occurrentibus piorum operũ occasionibus. Debebat ei Collegium S. Petri, aliquot centena florenorum. cùm iam tempus reddendi appeteret; conueniens eum P. Procurator Collegij, Pater Lucas Gladissius; fatemur, ait, nos debere: atqui reddere non possumus, nisi veteri monetâ: quænam, (ait ille) hæc moneta? respondit Pater: Deo gratias Reuerendissime. tum nihil moratus Thomas; Bona, inquit, est moneta; eam proinde accepto libens. Misto admirationi gaudio, ex tam subito, tamq; liberali responso gestiens Pater, pari âdmiratione & lætitia, Domum inopiâ pressam compleuit. Eodem Christianæ miserationis affectu, duo millia flore-

florenorum pauperibus ſubditis remiſit. Neq; ſolùm in præſens, piam prolixè exercuit liberalitatem: verũ etiam in ſecula poſtera tranſmiſit: quippe experientiâ doctus, quantum ex luſtratione Diæceſis, quotannis, vt ſupra dixi, à ſe fieri ſolitâ, ſpiritualium lucrorum in vniuerſam Diæceſim, promanaret; quamq́, innumeris ea functio Apoſtolica, Spiritualibus, præſertim miſericordiæ redundaret operibus; quò hoc tantum bonum perpetuum eſſet; neue ſucceſſores eius, aut inopiâ ab Diæceſi obeundâ præpedirentur; aut Parochos grauarent; viginti millium ſummam, in perpetuum locauit cenſum: quo ſcilicet annuè percepto, & ipſimet in dictis luſtrationibus commodè ſuſtentarentur, & ad luſtrandum obligatos ſe eſſe intelligerent.

Id verò in Thoma mirandum videtur, quî in tali mediocritate redituum, vtpote vnico beneficio, eoq́; non

non prædiuite contentus, non ſolùm conſuetis, vel per occaſionem incidentibus, velut inexhauſtâ pietate tribuendis eleemoſynis; ſed etiam ſtabilibus fundandis, par eſſe potuerit. Atqui huius rei non vna cauſa aſſignari poteſt. Prima & potiſſima; benedictio Dei; *potentis*, vt Apoſtolus ait, *omnem gratiam abundare facere in nobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Neq; enim, aut verax mentitus eſt; cùm dixit; *Date & dabitur vobis:* aut benigniſſima illa, ac beneficentiſſima natura, perennis omnis copiæ fons, patitur ſe liberalitate noſtrâ vinci: quin potiùs quidquid pauperibus datur, ſibi datum reputans, multiplicato fænore redhibet; atteſtante per Salomonem Spiritu Sãcto: *fæneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Hac ſolâ, licitâ, piâ, ſanctâq;

vſurâ;

vſurâ; hoc laudabili fænore, velut quæſtuoſiſſimâ vſus arte, abundabat Thomas, in omne opus bonum. Verùm quia prudens illud ſapientis Ethnici pronunciatum; cum Deo manum moue; non apud Ethnicos ſolùm, ſed etiam apud Chriſtianos, veritatis locum tenet; aderat Thomæ, in ſubſidium melioris fortunæ, cùm diligentia, tum induſtria, in tractanda re æconomica; ita quidem; vt non vſui ipſius, vnioniq; cum Deo, non tranquillitati animi obturbarent. quod ſanè, ſeruis Dei, aſpirante gratiâ eiuſdem, haud ita difficile præſtitu eſt: dum omnia per diem agitanda, partim generali pro tota die, partim ſpecialibus ad ſingulas actiones adhibitis propoſitis, ad maiorem Deî referunt gloriam: atq; in medio etiam occupationum, denſo agmine incurrentium, tumultu, in minimis pariter & maximis negotijs, ad eum per orationem recurrunt: ſine quo nec

maxi-

maxima ſubſiſtunt: adeo vt ipſa tra-ctatio temporalium, ſit ipſis materia agendi cúm Deo. Quod vel maximè propter eos dictum velim: qui inopiæ ſpiritus, curam rerum temporalium obtendentes, negant ſe, mole terrenarum occupationum obſtante, in Deum & cæleſtia, oculos mentis intendere poſſe. Quod ſecus ſe habere; frequens experientia, & Sanctorum exempla, docent. Nam priſcis Eremicolis, ſolenne fuiſſe legimus: manuali labori iungere orationem: & manibus quidem laborabant, corde autem, quæ ſpiritus erant, voluebant. Quid tam occupat, & ab alijs cogitationibus auocat animum, quam cruentum negotium, pugna ſcilicet confligentium in bello; vbi ſpes, metus, cupiditas ira, raptant in diuerſa præliantium animos? Et tamen, de acerrimo bellatore Iuda Machabæo, & pugnaciſſimis eius militibus, diſertè teſtatur Scriptura; quod in feruore

conflictûs, mentes ad Deum eleuatas habuerint: *manu quidem*, ait, *pugnantes sed Dominum cordibus inuocantes*. Haud præterierim hic, admirabile illud organum Spiritus Sancti, Magistrum virtutum omnium merito appellatū, Thomam de Kempis: cuius mihi vitam legenti, non semel incidit illa cogitatio, quonam pacto officium Procuratoris seu Præfecti œconomiæ totius monasterij; vtique munus, vt temporalium curarum plenum, ita distractionum feracissimum, vel suscipere voluerit: vel potuerit sustinere vir, cæteroqui Deo plenus, ac tantæ vnionis vsusq; cum eo; quantum luculentissimè indicant, cùm alia non pauca spirituali eruditione grauida volumina, tum præcipuè illud nunquam laudatum satis, quod titulo; De Imitatione Christi, prænotatur. Cuius quidem libri; mole modici, virtute maximi, dum vim, efficaciam, vtilitates cogitatione persequor, fi-

nem mihi æstimandi eius, laudandiq; inuenire non videor. Est, meritò dixerim, spiritus Christi medulla: cælestium sensuum armarium: armorum spiritualium promptuarium: calcar virtutis: fomentum sanctitatis: prouectio perfectionis: suaue, animæ esurientis iustitiam, pabulum: afflictæ solatium: quies turbatæ: perfugium tentatæ: labentis fulcrum: anchora fluctuantis: fida statio periclitantis: deniq; felicissimum, ac tale (quod sciam) sub sole vnicum, Euangelicæ, cælestis Magistri IESV Christi, doctrinæ, compendium. Verùm dum hæc impetu quodam calentis animi fundo; sentio me sensim delabi ad ea; quæ metas propositæ materiæ excedere videri possint. Igitur ad Thomam Oborski redeamus. Inde enim sumpta digrediendi occasio, quòd Thomas Oborski, quò pijs largitionibus sufficeret: haud ignauam rei œconomicæ nauabat operam; citra quidem

dem detrimentum ſpiritûs: vti cúm alij plurimi vitæ Sanctimonia conſpicui, tum deditiſſimus alioqui rerum diuinarum contemplationi, Thomas de Kempis: ad quem vbi ventum eſt, ac ad diuinum eius de Imitatione Chriſti partum, mox cum auctoris, tum operis Sanctitas, in meritiſſimas ſui laudes haud inuitum calamum rapuêre. Cæterùm, vti edicere cæperamus, altera poſt benedictionem diuinam, cur Thomas Oborski in miſericordiæ opera abundaret, cauſa fuit; ſcita & ſeria rei œconomicæ adminiſtratio: neq; ſolùm bonorum proprij beneficij; ſed etiam de alijs conductorũ. Qiuppe polygamiam ſpiritualem, velut ſcopulum vitæ Eccleſiaſticæ, multorum naufragijs infamem, ſtudioſè deuitans; quò tamen, & muneris ſui dignitatem ex decoro tueri, & piam in pauperes liberalitatem, prolixiùs exercere poſſet; malebat conducendis, etiam

 mer-

mercede, ac labore excolendis, alienis agris, aliisque operosis industrijs, rem familiarem, inoffensâ conscientiâ, augere; quâm contra Diuina & humana iura, adeoq; certo salutis periculo, pluribus beneficijs citra necessitatem, vel maiorem vtilitatem Ecclesiæ, incubare. Deniq; parsimonia, erat Thomæ, grandis instar vectigalis. Sumptuosiorum oblectationum illicitarum, vsus penitus nullus: vix aliquis; nec nisi honestissimus, licitarum, non famulitium superfluum: non cultus corporis sui, ac suorum nimius: omnia intra decorum status, pretij modesti: necessitatis, honestatisq; modo dimensa omnia.

Memoratis supra misericordiæ erga viuos operibus; libet adtexere opus misericordiæ erga mortuum, tantò illustriùs, quod & vili personæ impensum, & non citra periculum vitæ. Agebat tum in villa Thomas, cùm vnum ex inferioris notæ famulis, lues pesti-

pestifera extinxit. Porro metu letiferi contagij, cunctos deterrente, nemo erat familiarium, nemo villanorum, qui operam suam ad sepeliendum offerret. Itaq; ipsemet Thomas, operi quantumuis periculoso, quia pium erat, manus proprias admouet. Tum verò puduit seruos non sequi: quando herus tam animosè præiret. Exemplum incussit pudorem; pudor addidit animos; vt quot alioqui non fecissent; supremum obsequium conseruo præstarent, ac pij laboris socij facti, in meriti quoq; venirent societatem.

CAPVT XV.

Iustitia.

EX supra narratis, pronum est intelligere, quàm exactus fuerit Thomas, in suo vnicuiq; reddendo iure. Sanè qui tam prolixè largiebatur propria, quî potuit vsurpare aliena? quomodo rem alterius, maioris

momenti, ſciens retinuiſſet, qui acum etiam, in diuerſorio commodato acceptam, poſtquam longum confeciſſet iter; Domino, vt Capite 6. memoratum, remiſit? Itaq; mercedem operarijs, ſtipendium famulis, mutuò ſumpta, Dominis, condicto tempore ex integro reddebat.

Ex villa, cuius, tum poſſeſſor erat Thomas, longo temporis tractu, non niſi quadraginta florenos, Anteceſſores certæ communitati loco decimæ pendebant. Poſtulante illâ auctionē, ſeu quòd antiquitùs plús dabatur, ſeu quòd auctis proceſſu temporis annuis fundorum fructibus, conueniens erat augeri pretium decimæ; non cōtrariam conſuetudinem, non aliud cauſæ oppoſuit Thomas: ſolius æquitatis habitâ ratione, ſanciuit, vt non quadraginta deinceps, ſed quadringenti penderentur.

Pro tempore, quo luſtrabat Diœceſim (quod quotannis æſtiuis menſibus,

bus, magno, vt ſuo loco reddidi Diœceſeos emolumento, faciebat:) ſaluæ illi ex meritiſſimo Venerabilis Collegij conſenſu, manebant obuentiones, quas Canonici, non niſi præſentes, hebdomadatim percipere ſolent. Luſtratione quadam perfectâ, cùm rediret, perſuaſerunt Thomæ comites; vt in villa propriâ, poſt tot labores, ſuæ ſuorumq; quieti, aliquot dies daret. Commoratus eſt ferè biduum. Reduci obtulit Notarius Capituli, totum illud; quod deberi ipſi, à die egreſſus ex Ciuitate Cracouienſi, ad diem regreſſus, ad eandem computabat. Negauit Thomas, percepturum ſe quidquam pro illis diebus, quibus hæſiſſet in villa: vt pote quos priuatæ quieti, non publicæ Diæceſeos vtilitati, impendiſſet;

Munerum conſtans aſpernator erat: nec ſolùm eorum, quæ humanos animos ab recto & æquo in tranſuerſum agunt, atque ex iudicibus reos

faciunt; sed quæ etiam honesto titulo conuestiri, dantemq; , iuxta, atque accipientem à culpa excusare possunt. Cùm consecrandis Ecclesijs, alijsque laboriosis officij sui functionibus daret operam, non rarò ei varia à varijs, & à Magnatibus magnifica dona, grati animi testificandi causa, offerebantur Ea verò, nec acceptabat ipse, nec à suorum quopiam accipi, permittebat. Magnatum quidam, in cuius bonis, Thomas templum solenni actu dedicauerat, dedecori sibi ducens; si indonatum Thomam dimitteret, non parum laborauit, vt ab se, nobile donum acciperet. Cùm nihil profecisset; vt tamen animi sui celsitati, vtcunque faceret satis; comiti eius Præsbytero ingessit quindecim imperiales. Adeo Thomas ægrè tulit, non repudiatum munus à Præsbytero; vt præter acres, (Giezy & Simonis exemplis adductis) increpationes; professus sit, ne mensæ quidem eidem

cum

cum ipſo aſſidere velle. Confuſus, multumq; turbatus, pænitens multùm Præsbyter, coactus eſt recurrere ad Confeſſarium Thomæ P. Fridericum Szembek: cuius demum gratiæ, ac auctoritatis interuentu, ægrè quidem, in priſtinæ gratiæ gradum eſt reſtitutus. Atq; hoc ita fuiſſe, ipſomet Præsbytero referente, intellexi.

CAPVT. XVI.

Infirmi prodigiosè curati.

Pia quâdam perſuaſione ductus; non facilè remedium efficacius ad depellendos morbos inueniri putabat; quàm quod ſupremus animarũ, & corporum medicus Saluator ipſe inſinuaſſe, ac velut ex obliquo probaſſe; commendaſſeq; videtur: dum eo, vſum Samaritanum, in eo, qui inciderat in latrones curando, refert. Itaque vſitatiſſimum Thomæ fuit, vino & oleo commiſtis, & ad ignem modicè calefactis, mederi ægris. Et quã-

quam id genus remedij, si indolem eius spectes; non cuilibet indiscriminatim morbo curando idoneum sit; fiebat tamen; vt quod natura medicinæ negauerat, fides medentis suppleret. Plurium huiuscemodi curationum; vnicum exhibeo specimen, à P. Valentino Sophronio Societ. Sacerdote, trienni Apostolicorum Thomæ laborum socio; inter plura eiusdem gesta, mihi perscriptum. In vico, Mons S. Ioannis nuncupato, auriga, Gregorius nomine; vehementi cœpit æstuare febri. Inde incessit Comites, non metus solùm, ne vlterius progredi non possent, sed planè desperatio. Obiectum prosequendæ viæ impedimentum, deferunt ad Thomã: tum ille, ad vsurpatum toties, prospero euentu, remedium recurrit: vinum ipsemet cum oleo miscet; opponente quodam ex Religiosis Sacerdotibus, tali remedio ignem igni addendum, ac febri ardentissimæ fomitem.

mini-

miniſtrandum; atqui (reponit Thomas,) Chriſti eſt hæc medicina: tum poculum infirmo mittit: intrepidè ſumere iubet: ſumpſit, conualuit, eodemq; mox die, herum & medicum ſuum, alacer vexit.

Nobilem quendam, ſeptennium iam, morbus lecto detinuerat. is quo die ſuprema officia, Thomæ, exſoluebantur, quæſiuit: quorſum Sigiſmundus pulſaretur; (Campana eſt, ad Baſilicam Cathedralem eo vocabulo indigetata, quod Sigiſmundi Primi Regis tempore, & impenſis, ſteterit: opus ob raram magnitudinem, formæ elegantiam, præſtantiam materiæ, ſonique ſuauitatem, Regio nomine, & magnificentiâ dignum:) vbi igitur reſponſum tulit; pulſari Suffraganeo; Sanctus, inquit, homo is eſt, quid ego moror? vadam ad ipſum, vtcunq; potero. Trepido, nutanteque incedens greſſu, vt primum gradus Baſilicæ attigit, integram ſanitatem recepit.

Qui-

Quidam item, ad Corpus Thomæ, infirmo sibi restitutam valetudinem, cùm esset adhuc adolescens; postea factus Sacerdos iureiurando affirmauit. Ferunt & mulierem oculis captam, visum ibidem recepisse.

Non minus fuit prodigiosa curatio, quam post priorem libri editionem ex viro fide dignissimo comperi, eò quidem maiore meâ voluptate, quod interuentu libelli vt instrumenti assumpti, illam fieri Diuinæ bonitati placuerit.

Sub tempus Coronationis Serenissimi Michaelis Primi, Poloniæ Regis, conuenit me Perillustris M. Dominus Martinus Oborski, Gubernator Liuensis, vir cum genere sibi cùm Thoma communi, tum naturæ dotibus, & officijs in Republica gestis nobilissimus. Ipse quippe in duobus Generalibus totius Regni Conuentibus Vniuersæ Nobilitatis Directorem (*Marschalcum vulgo vocant*) præclare

egit,

egit, & vero quis aliud præstantius, de eius prudentia, dexteritate, studio boni publici, integritate, fide, iudicium desideret, quàm quòd in luce & theatro totius Reipublicæ tulit? Is igitur illato sermone, de Thoma Patruo, eiusq; virtutum & admirandorum operum impressa narratione, narrauit ipse, singularem gratiam intercessione, obtentam. Rogatus à me vt rem prout gesta est scripto consignaret, nihil moratus, vt est literis apprimè excultus, pari latini eloquij elegantia, ac facultate, sequentia in chartam effudit. Anno Domini 1664. feria tertia ante Dominicam Palmarum, renuntiatũ nobis erat (puta Parentibus) trans fluuium Bugum tunc commorantibus, filiam nostram vnicè caram, nomine Mariam Eleonoram morbo varijs Symptomatibus prægraui maximè laborare. Morbi genus vernaculo vocabulo Odra dictum, erat ex eo capite valde periculosum;

losum; quia papulæ rubentes introrsum versæ erant, quod mali mortiferi indicium certum esse solet. Quod vbi nobis innotuit, Pater afflictissim', concito equestri cursu, quindecim milliaribus, quantumuis breui tunc die, confectis, deliquio collapsam reperit, desperatâ salute, in proprium conclaue secedit. Vbi Deo ita disponente conijcit oculos in literas Perillustris ac Reuerendissimi Domini Iudicki, M. Ducatus Lithuaniæ supremi Notarij, vnaq; in donarium, auide præoptatum, ab eodem missum, Historiam vitæ exemplaris Thomæ Oborski Suffraganei Cracouiensis. quo libro cum amplexu excepto in Cameram ægræ, ac pene animam agentis pergit; librum dorso substernit, conceptis expressè verbis: vt tuus te Auus, misera nata, ad vitam reducat. Libri suppositionem mox subsecutus est somnus sed breuis. Intra horam, nuntiatū est parenti, euigilasse fi-

se filiolam; confestim accurrit; sanam ex integro reperit, papulæ quas introrsum versas supra retuli, in superficiem rursus euasêre, ea parte corpusculi & tanto planè spatio, quantũ liber substratus occupauerat, vt dubitare non licuerit, extraordinaria cælesti vi, malignitatem morbi vna cum papulis per contactum libri extractam, ad Suffragationem eius, cuius vitam liber continebat. Hactenus miraculosa filiolæ curatio, quam prout à parente viro laudatissimo conscripta est, inserendam hîc putaui, quo dignitas scribentis, certiorem faceret fidem scriptis.

Præsto memoriæ est aliud quoddam beneficiũ suffragantibus Thomæ meritis obtentum, quod ea mihi certitudine cognitumest, quà maior humanitus haberi non potest. Anno Domini 1668. 12. Ferb. quendam Professione Religiosum, ordine Sacerdotum, ætate septuaginta duorum an-

norum ſenem, tam vehemens repen-te arripuit calculus, vt ſuprema breui deducturus eum putaretur. tenuit porro ipſum modò acriori, per inter-ualla recurrens, nouem circiter men-ſes. Tandem 12. Nouembris cum ſupra modum inualuiſſet, venit affli-cto ægro in mentem, Thomam quoq; ſimili morbo laboraſſe; non ignarum proinde mali, miſero ſuccurſurum. Erat in promptu, Cingulum Thomæ, quod æger, ſacri inſtar pignoris, apud ſe ſeruabat. Eo igitur, præmiſſa bre-ui oratione, ſeſe circumcingit, mox-que cruciatus ceſſauit, vnum & alte-rum diem, tertiâ vero die, repente, mira facilitate, citra vllum doloris ſenſum, quem minuſcula etiam infer-re ſolent, grandi calculo leuatus, in-tegram ſanitatem recepit. Atq; par iterum, poſt ſexennium, à priore, idem Religioſus, cum iam ſeptuageſimum octauum annum ageret, retulit bene-ficium, Octauâ Iunij, Anno Domini 1674. cum

1674. cum grauis illum calculosa affectio inuasisset, neq; per totam ferè noctem somnū capere siuisset: recurrit ille, ad expertum olim remedium: manè postridie, cingulum Thomæ applicat: moxq; eadem die, grandi æquè ac antea calculo perfacile liberatur.

CAPVT XVII.

Alia quædam admiranda.

APparuisse Thomæ ægro Sāctissimam DEI MATREM; supra, cùm de deuotione eius erga Deiparam agerem, memoraui. Porrò, fauorem huncce sibi præstitum, ipsemet Thomas, in Ephemeride Actorum quotidianorum, adnotauerat: adnotatum, se legisse, tunc eius Clericus, post Religiosus Cisterciensis Ordinis, Monasterij Claræ Tumbæ, Albertus Haczel affirmatè narrauit, Paulo Stanislao Smolicki: Scholastico Scarbiriensi: Præposito Neocorcinensi: qui

demum mihi totum vt audierat, & à quo audisset, retulit. Neutri fidem derogare fas est: quorum alterum probatissima religiositas alterum prudentia, grauitas, virtus notissima, extra omnem falsitatis suspicionem ponunt.

P. Stanislaus Chmielewicz, Vicarius Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis, retulit mihi: cùm adhuc operam literis daret, solitum se identidem adire ædes Thomæ, vti benefactoris sui. Quâdam porro die, cum horâ prandij consuetâ, Thomas non compareret, percontatum se, vbinam esset? & quid ageret? Tibi verò (inquit Capellanus,) si libet, licet illa paruâ ostij rimulâ contueri quid agat? Inspexi: orantem extensis manibus vidi: quid viderim, exposui Tum Capellanus; atqui scito, inquit, eum non terræ, non cuipiam alteri rei insistere. Vehementiâ ignis in meditatione exardescentis, in sublime actû,

ac ab

ac à terrâ leuatum significabat. Solebat vt plurimum in locis aspectui hominum haud patentibus orare: vnde & in Ecclesia Cathedrali plerumq; ad latus maioris altaris, spatio inter aulæa, & pariete interiecto, abditus, orationi vacabat.

Idem Vicarius narrauit. Cùm essem iam Ordinibus minoribus initiatus, atq; vnus ex iis, qui sacro cantato modulatis intercinunt vocibus, itare me quotidie ad Ecclesiam Cathedralem necesse erat. Die ergo quâdam, cum versor in Ecclesiâ, Sacerdotis ad altare accessum operiens: animaduerto excidisse mihi sacculum, cum sex florenis. Mox relego vestigia mea: huc atque illuc, quà meminéram me perrexisse, cursitans. Suum tunc in Ecclesia, Thomas inter Canonicos, occupabat locum: surgit: anxiè per Ecclesiam erranti occurrit; angoris causam sciscitatur; paucis illis; *ne sitis soliciti*; solatur verbis. Tum

poſtquã Kyrie eleyſon cecinissemus, me accerſit, pecuniam amiſſam, reddit in eodem ſacculo: & eandem ipſam, ſed duplicatam: quippe ſupra amiſſam tantundem, accreuerat. Sex florenos perdiderat; duodecim recepit: factus iacturâ auctior: niſi perdidiſſet; minùs habuiſſet. Id quod non potuit non tribuere extraordinariæ Dei prouidentiæ- ſuæ quidem indigentiæ vt erat tunc tenuioris fortunæ, benignè proſpicienti, ſerui autem ſui ſanctitatem, admirando hoc decoranti euentu.

C A P V T XVIII.

Mortui vitæ redditi.

EX admirandis ſupra vim & ordinem naturæ effectis, quibus Deus ſerui ſui ſanctitatem teſtatam, illuſtremq; reddere voluiſſe creditur: illud ſermone omnium vel maximè celebratur: quòd per eum in villa, dictâ Skrzynki, operatus eſt. Ludebant pueri ſupra ſtagnum propinquum: vnus

nus

nus alteri pomum eripere nitebatur: dum neuter alteri concedit, dum ſpe potiundi, obſtinato vtrinque, hic retinendi, ille extorquendi multiplicāt conatus; ſeſeque inuicem raptant, in ipſo feruore puerilis luctæ, alter eorum ex abruptâ ripæ crepidine, præceps in ſtagnum datus, profundis continuò abſorbetur aquis. Triſti nuntio excita effunditur domus. Verùm dum trepidè de modo ſuccurrendi cōſultatur; dum haud facilè reperitur, qui periculum adire, ac voraces audeat inuadere aquas: dum vrinator altæ voraginis ſcrutatur fundum; nec facilè reperit; & ægrè extrahit; ampliùs quàm integram horam, puerū ſub aquis eſſe neceſſe fuit. Luſtrabat eâ tempeſtate pro more Diæceſim Thomas: ac deo ita ordinante, in villam Skrzynki venerat. Factum comperit, accurrit, exanime corpus reperit: indoluit, animo bono eſſe iuſſit, orauit, viuum puerum Pârent-

bus reddit: qui de ingratâ recordatione beneficium recolentes; Deo & precibus Thomæ, reducem filij vitam semper referebant acceptam. Rem prout recenter gesta est; vir prudentiâ ac pietate insignis, Stanislaus Garwaski Canonicus Cracouiensis, in stato Conuentu apud Collegas suos primus vulgauit: Thomas, vti cætera, quæ admirationem æstimationemq; sui parere possent, totum constanti silentio pressit. In diario duntaxát, (quo memoriæ subsidio, vt erat accuratus in suis rebus, perpetuò vsus est) tacitâ suâ personâ, facti solius meminit, paucissimis hisce verbis: *Hic puer submersus reuixit.* At religiosissimns vir, P. Nicolaus Lancicius Societatis IESV, & cum prudentiâ Sanctorum, omniq; eruditione spirituali; cuius Asceticorum eius operũ Tomi duo, luculentissima specimina extant: tum verò vitæ Sanctimoniâ atq; admirandis per eum diuinitus pa-
tratis

tratis operibus, non solùm per Regnum Poloniæ, sed & apud exteras nationes nominatissimus, is, inquam miraculum restituti vitæ pueri, pro certo, compertoque habuit. Quippe scribens ad peramicum; perque familiarem sibi Casimirum Waxman, Warmiensem primùm, dein etiam Cracouiensem Canonicum: multum ipsi gratulatus est, quòd in ædibus (intelligebat eas, quas ob vicinitatẽ Ecclesiæ Catherralis, studio à Thoma delectas, supra memoraui) ei successerit; qui mortuum puerum ad vitam reuocauit.

Compar priori miraculum, retulit, vir præstantis inter Collegas Cathedralis Basilicæ Cracouiensis Canonicos authoritatis, Ioãnes Skarszewski: genere, virtute, prudentiâ, ac dexteritate in grauibus negotijs tractandis, Perillustris: quæ quidem illius decora, ideirco commemoro, quòd dignitas dicentis, haud dubiè fidem adstru-

 at di-

at dicti: Is igitur, cùm eum ægrotum visitassem, narrauit mihi: alterũ mortuum, in tractu Lublinensi, orationis & meritorum Thomæ interuentu vitæ redditum. Atq; hunc eundem esse arbitror; quem in villâ dictâ Pachna Wola, prope Casimiriam. morti suæ superstitem, sospitemq;, visum à se, à nobili matrona Broniowska, sibi demonstratum, retulit mihi R. Pater Antonius Stephanowicz Custos Conuentus Cracouiensis: nunc iam Prouincialis per Poloniam Ordinis Minorum de Obseruantiâ.

Tertium suffragio precum ac meritorum Thomæ diuinitus reuocati ad vitam mortui, patratum miraculum. tum oretenus mihi retulit, tum accurato scripto consignauit illustris A.R.D Adamus Drobczynski, Cracouiensis ad Ecclesiam Omnium Sanctorum Canonicus, acceptâ totius rei cognitione, ex Nobili Matrona Catharina Dzieżynska vidua, quæ

cam

eam ex viro suo sibi tum adhuc conuiuente (homine DEVM timente & per annos non paucos familiæ gubernandæ, Oeconomiæque tractandæ à Thoma in domo sua præposito, eiusdemq; viarum comite, necnon gestorum omnium scientissimo) narratam exposuit.

Sacramenti Confirmationis administrandi, aliaq; salutaria populis munia obeundi gratiâ profectionem Thomas instituerat in eas Diæceseos regiones, quæ citra vltraq; Lublinum iacent. Operatus mane, pro quotidiano more sacris, iter ingressus, duabus confectis leucis, diuertit in meridiem ad hospitium, vbi minime luctum speranti, accidit, offendisse Matremfamilias vnigenitũ vitâ recenter defunctum deplorantem, tanto dolore animi afflictam & turbatam, vt salutantibus se hospitibus propter lacrymas & singultus respondere penitus nihil posset. Tanti doloris post-

quam Thomas causam intellexit, tactus commiseratione super ipsam, duci se ad mortuum iussit. Quo conspecto, & Matre à deliquio quod ex intuitu mortui filij passa fuit, vindicata, sic eam est consolatus: Noli flere, puer iste non est mortuus, sed dormit, vlus nimirum ijsdem verbis, quæ Christus in suscitatione filiæ, principis vsurpauerat Matt: 9 opponente illâ quòd diu animam egerit; ante aliquot horas expirauerit: pallor, liuorq; mortuum indicet, ægroti inquit dormietis signa ista esse possunt. Vade, iuua meum cocum, parantem pro familia cibos: conclaue claudere iubet, clauem secum accipit. Deinde egressus velut oraturus extra domum, aperit conclauis fenestram, ad locum vbi puer iacebat, se inclinat. Id verò solus maior illius domus videbat. Studio enim in egressu vnicuique famulorum certas occupationes assignauerat, ne prodire extra domū, ac quid

ac quid fieret aduertere possent. Exactâ semihorâ fenestram claudit: regreditur: familiam accumbere iubet: ipse interim orat: Matrem identidem solatur repetitis verbis: non est mortuus puer sed dormit. In ascensu currûs, dum clauim reddit, DEVS inquit te consoletur: illa gratias agit, cùmq; numeratam pro pabulo equorum aliisq; vsibus ad conclaue refert pecuniã, ecce conspicit in eo, in quo iacuerat scamno sedentẽ filium amæno renidentiq; vultu, obstupefacta & præ lætitiâ vix sui compos, confestim ne compellato quidem filio prouolat ad maritum, in horreo laborantem; nuntiat filiolum vitæ restitutum precibus hospitis recentissimè profecti: ergo protinus ambo cursu concito Thomam consequuntur: assecuti, (neque enim adhuc longè aberat, & haud libenter quidem, sed clamosis post se currentium precibus coactus substiterat) flexis genibus, sublatis in cælum manibus,

manibus, lacrymisq; præ gaudio manantibus, in has erumpunt voces: cētupliciter Tibi Reuerēdissime repēdat Deus, quòd nobis pauperibus afflictissimis impetraueris vnicum filium nostrum. viuit, viuit tuis sanctis precibus ad vitam reuocatus. At ille suboffensus eosq; arguens: sciuit inquit DEVS vitam eius adhuc esse necessariam, ideoque eum viuere voluit. Quodsi vos precibus meis vitam eius tribuitis, breui morietur. Iussit deniq; vna cum filio pergere ad templum, ibiq; Deo pro accepto beneficio gratias agere; quod & continuò præstiterunt, modum, quo receperunt filium, ob comminationem Thomæ silentio prementes. Hæc fermæ ad verbum transtuli ex vernaculo scripto, prædicti A R. D Canonici perspectæ prudentiæ, fidei & integritatis viri, prout ab eo ex ore superstitis vsq; matronæ; & ab hac ex ore mariti proprij, qui rei gestæ interfuit,

causas

caufas mentiendi procul habentibus, excepta sunt.

CAPVT XIX.

Obitus.

PErmoleftâ calculosâ affectione, quafi perpetuò, quòad vixit infeftatum Thomam fupra memorâram. Eratq; hoc illi velut perpes, martyrij inftar, patientiæ exercitium. Verùm extremis duabus feptimanis, ita velut collectis viribus inualuit; vt breui fupremis admotum, violentè confecerit. In fummâ acerbitate dolorum, illud Apoftoli vfurpabat. *Quotidie morior.* Qui humano fenfu diritatem cruciatuū eius expendiffet, miferrimè illum, & velut irato numine decedere ex hac vita iudicaffet. At qui fidei lumine illuftrati, ac Sanctorum prudentiâ præditi, interiores oculos fimilibus euentis admouent, longè diuerfa fentiunt: penitufq; ex vero cenfent, Deum, non folùm, non irafci, verùm

etiam

etiam eximiū fauorem præstare; cùm quos diligit castigat: cùm tenuissimas etiam noxas igne tribulationis hîc excoquit: nec purgatorijs furnis expiandas remittit; cùm vt merita accumulet, flagella multiplicat. Sed ecce dum hæc animo voluo; eo ipso die, quo Sancti Francisci Xauerij Indiarum Apostoli transitus ad vitam cælestem, anniuersariâ memoriâ, recurrit, affine quiddam mentis occurrit cōsiderationi: huius ipsius, inquā, magni serui Dei, si animalium hominum, ea quæ Dei sunt, haud percipientium, iudicio rem permittas; perquam miserandus; sin eorum, qui ad fidei lumen, in arcana etiam Dei consilia, quantum fas est, humanæ imbecillitati, aciem intendunt; perbeatus: & vt vtrorumque iudicia tam longè dissita coniungam; è infelicissimus exitus. Quippe ille, post tempora Apostolorum, Apo-stolus (absit verbo inuidia) maximus;
qui,

qui, (liceat Tulliana verba longè veriꝰ in præsentiarum vſurpare:) gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas; non cruentis cædibus domuit, ſed gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ſub ſuaue Chriſti iugum miſit: qui manu propriâ duodecies centena Ethnicorũ millia fonte baptiſmi Sacro abluit: ille qui tot mortuos, (non pauciores quã viginti in Actis Canonizationis proferuntur) ad vitam reuocauit: ille demum plurimorum aliorum, (quis enim omnia enumeret?) maximorumque ad Maiorem Dei Gloriam facinorum, ac prodigiorum patrator; dum quæ retro ſunt obliuiſcens, ad anteriora deſiderijs propagandi Regnum Chriſti in immenſum ſe extendit; dum Sinarum vaſtiſſimo, & populoſiſſimo imperio lucem Euângelij inferre ardet; dum atrium à forti armato longâ retro ſeculorum ſerie infeſſum inuadere, clauſtraq; ferrea, inexupe-

exuperabilibus legum, ingreſſum exteris ſub ineuitabili capitis vel carceris perpetui pænâ vetantium, vſuſque perpetui ſeris firmata, vel vitæ impendio perrumpere nititur, în hoc tam grandi; contentoq; conatu, tantus Dei ſeruus, lethali correptus morbo; nec deſiderijs minùs importandi Sinis nominis Chriſti, quàm febribus æſtuans, in horrente illâ, vacuæ habitatoribus inſulæ ſolitudine, ventis peruio, ac penè ſub dió: omni humano deſtitutus ſolatio moritur. Nunquid igitur â Deo quoq; deſertum, abiectumq; putabimus? Abſit à Philoſophiâ Chriſtianâ ita arbitrari; ex cuius ſapientiſſimis ſenſis, ac Sanctiſſimis placitis, & cum Sãctorum, tum Sancti Sanctorum Magiſtri cæleſtis Iesu Chriſti, exemplis & doctrinis, certum eſt fidelibus; id quod in præſenti eſt, momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus

opera-

operari: ideoque; desolationes, in maiora incomparabili excessu solatias; ignominiam in gloriam; labores in præmia; certamina in triumphos, coronasq; vertere immarcescibiles: demum quò electorum quisq; largiùs bibit de calice passionis,deq; torrente tribulationum, eò altiùs extollere caput, propioremq; Christo in regno eius considere. Atque hoc ipsum (vt ex diuerticulo, quanquam affini viæ, ad viam ipsam redeamus) iustum est sentire de Thoma Oborski; Deum videlicet benigno paternæ prouidentiæ consilio, extremis vitæ diebus, acerrimis ipsum attriuisse doloribus, quò expiatis minimis etiam, quas nec magna sanctitas effugit, labeculis, expeditam illi, rectamque ad cælum panderet viam: quò cumulatioribus conspicuus meritis, gloriosior intraret in gaudium Domini sui, honoratioreque, cælestis conuiuæ, æternùm recũberet loco. Fuit is illi sanè mor-

bus, nobilis præſtantium virtutum palæſtra: meritorum officina: fuit curſus ad brauium ſupernæ vocationis: inſtar quidem motus grauium corporum naturalis: eò citatior; quò metæ propinquior. Viua viuaxque fides, deuotionis feruor, exacta propriæ voluntatis cum Diuina conſenſio, virginalis vereeundia, inuicta inter acerrimos dolores patientia, cæteruſque præcellentis gratiæ Diuinæ comitatus, ſi quando, in vltimâ hac vitæ ſcenâ, rarâ maieſtatis ſpecie comparuêre. Cùm adhuc inter ſpem & metum ancipites medicorum ſententiæ fluctuarent, vnus aliquis ſolertior, ſpondebat ſe certis inſtrumentis radicem mali educturum. Renuit heroico animo Thomas: eò maximè nomine, quòd ratio medendi, quanquam licita, pudori ſuo virgineo haud congrueret. Vbi ſupremis propiùs ſeſe iam admoueri ſenſit, ſuprema Sacramentorum præſidia cupidè expe-
tijt,

tijt. Venientem ad se in Eucharistia Dominum, eâ excepit deuotionis alacritate, quæ piam præsentibus cieret admirationem, afflaret pietatem. Et de morte quidem propriâ, non secus ac de alienâ loquebatur. adeo præsens sibi, Deo fidens, tranquillusque in eo articulo constabat ipsi animus. Eâdem pace animi ordinatis; quæ ex vltimo arbitrio eius post obitum fieri seu iustitia seu pietas poscerent; totus de cætero in Deum & Diuina ferebatur. Demum inter religiosissimos sensus & suauissima colloquia, cum IESV; in cuius effigiem quasi assiduè intentos habebat oculos, sensim viribus, ac voce deficientibus, cōmēdatissimā haud dubiè tot benefactis animam, in manus fidelis tradit Creatoris. 3. Iulij A. D. 1644. ætatis 74.

CAPVT XX.

Opinio Sanctitatis.

HAud ignoro, laudatis etiam ſcriptoribus in more eſſe: poſteaquã; & merito ſui, & iudicio Saluatoris certiora Sanctitatis documenta, opera, inquam bona, primo loco, tum ſecundo admiranda in medium protulere; poſtremò tandem voces etiam populi, ac prudentum iudicia, velut non contemnenda adſtruendæ Sãctitatis inſtrumenta, ſtudiosè collecta adducere: quorum vti diligentiam laudo; ita contentionem laboris, haud quaquam aſſequi me poſſe confido. quippè infinitum, ac ferè ſuperfluum videtur, ſingulorum ſententias particulatim percenſere: vbi ex omnibus, qui diffiteatur: nemo eſt; promptè annuunt cuncti. Thomam quicunq; penitus nouerant, pro Sancto habebant, ferebantq;: vulgò Sanctus Suffraganeus vocabatur. Hinc qui etiam ſacris ab eo Ordinibus initiati ſunt, in par-

in parte id felicitatis, & gloriæ, mecum ponunt. Non minimũ communis de Sanctitate cuiuſpiam ſenſus indicium eſt, honor ſepulturæ, & pia veneratio rerum attinentium eos, quorum ſanctitatem, multùm, vulgarem exceſſiſſe modum, factorum famæque celebris teſtimonio, nobis perſuademus. Quam in rem, memoratus P. Sophronius, hiſce verbis, de Thoma ſcripſit ad me. Cum opinione Sanctitatis mortuus eſt: quod concurſus multorum, loculum corporis eius tangere volentium, dum ferretur ad ſepulcrum indicabat. Premebant nos, qui obſequium illud præſtabamus defuncto, & ſtrophijs attingebant vrnam, illa deinceps tanquam reliquias habituri. Ex reculis quoque illius, vnuſquiſque aliquid cupiebat habere. Hactenus ille. Eadem præcellens opinio ſanctitatis, exciuit mox ab obitu, præſtantium doctrinâ & pietate virorum, linguas ac calamos,

 ad

ad dicandam memoriæ posterorum Thomæ vitam. Primus hanc luculentâ oratione celebrauit Simon Starowolski Canonicus Cracouiensis; promptus oppidò & copiosus in rem Ecclesiæ & Patriæ Scriptor. Habetur typis edita, in libro Vitarum Episcoporum Cracouiensium ab ipso conscriptarum; loco postrema, facundiâ, eruditione, prolixitate, studio, contentioneque dicendi prima. Erexit eidem gentilitiam Columnam celebris, inclytæ Academiæ Cracouiensis Orator, Ioannes Cynerski; non ex Pario eductam marmore, aut ære fusam Corynthio, verum ex præstantium Thomæ virtutum meritissimis elogijs panegyrico opere affabrè constructam. Scio quendam grauem & doctum virum, pridem molitum fuisse opus vitæ Thomæ, non sine grandi vt arbitrabar si in lucem prodijsset operæ pretio, quippe cum cætera scriptoris dig nitas, tum iurati officij au-

ctori-

ctoritas, testatiora haud dubie reddidisset gesta Thomæ. Verum mors interueniens, cum auctore opus quoque sustulit, quæsitum post obitum, non inuentum. Casu, an consultò, notitiæ aliorum subductũ fuerit? non constat. Altero à sepultura die parentatum est Thomæ in Basilica SS. Petri & Pauli Apostolorum. Laudauit è suggesto, religiosâ oratione, ad vsum audientium salutarem, maximè accomodatâ, P. Valentinus Sophronius: qui vti in propriâ perfectione curanda studiosus, ita in alienâ solers, & perspicax pernoscendâ, cùm per triennum comes Apostolicarũ Thomæ peregrinationum, sociusque laborum fuisset; non potuit non multa particularia nôsse, quæ ad spiritualem Religiosi auditoris gustum gratissima acciderent. Parentatum est, & in alijs Societatis domicilijs: quo officij genere, tametsi amicitiæ, & gratitudini, erga amicum & benefacto-

factorem; præcipuè tamen litatum est sanctitati. Atque hæc dicta compendiosè sunto; de magnis, THOMÆ OBORSKI, Episcopi Laodicensis, Suffraganei Cracouiensis virtutibus: quæ faciant manifestum, eum fuisse immunem, ab illa notâ, quæ cuidam Angelo Laodiceæ tribuitur; *Apoc.* 3. ℣. 16. Faxit DEVS: vt sui quamplurimos in Ecclesia DEI habeat imitatores. Amen.

EIDEM
PERILLVSTRI
Et
REVERENDISSIMO DOMINO
D. NICOLAO OBORSKI &c.
ACCINIT
Congregatio B. M. V.
In Cælos Assumptæ
Ad Domum Prof: Soc: IESV Crac:
VT SVO
Consodali fæderatissimo &
obseruandissimo
Ter iam Præfecto vigilantissimo,
Gs A C

AC

PERILLVSTRIS

Et

Reuerendissimi Domini p. m.

THOMÆ OBORSKI,

Eiusdem Sacri Cætûs, quaternis vicibus

Præfecti munificentissimi,

NEPOTI DIGNISSIMO, Suarumq; virtutum Hæredi ÆMVLATISSIMO.

Nam quo sagacis publica dignius
Se vertat Orbis palpebra? quo Aureo
Temone subnixus, volantes
Flectat equos, teneatq; cursum

Ar-

❀ ❀ ❀

Ardens tueri grandia Cynthius?
Non ille, quamquam per populos eat
Lustrator immensos, theatro
Se meminit potiore totos
Implesse vultus. surgis? an abditum
Modestiori tegmine adhuc premis
Nomenq;, Laudemq; emicantis
De tumulo fugitiuus auræ?
Latere Virtus nescia disijcit
Fatale marmor, tristibus inferi
Odit cupressis, perq; busta &
Per medias bene fulget vmbras.
Digna ô Latini Portio Sanguinis
OBORSCIORVM Gloria, Præsulum
Numen, Columnarum Columna,
Magne Viris superisq; THOMA!
Insuesce tandem Nominis inclyti
Perosus olim ferre meridiem
Insuesce, Nobilemque Cætûs
VIRGINEI, meritâ vetare
Desiste gazam luce. Quid hic priùs
Miretur cælum? quantus in indigos
Tagus redundas? quantus alta,
Te facilis domuisse, curas

Cal-

❁ ❁ ❁

Calcare faſtûs lubrica? quàm vigil
Commiſſa luſtras Paſtor Ouilia?
Victumq;, vitam, & Thaumaturgâ
Munificus properare dextra?
Ad grandiores quid male pagina
Obnubit auſus? viuis, & oblitis
Nil preſſus vrnis, haud minori
Pæne Tuam potes in Nepote
Lucem tueri. ſpirat adhuc DEVM
Vultus; nec altæ Nube modeſtiæ
Sat tecta virtus, perſpicaces
In ſe oculos animoſque figit.
An & Sodalis VIRGINEIS ades
Præèſq; Magnus Cætibus? Inuida
Nil egit Atropos, vetas Tu
Magne mori NICOLAE THOMAM.
Sic ille vultus, ſic oculos tulit
Manuſq; Præſul, qualis in omnium
Verſaris ore, ô digne iungi
Sero Comes NICOLAE, THOMÆ.

ERRATA.

In epist. dedicat. & alibi sæpius *pro* Præsbytero *leg* *potius* Presbyterum

pag. 10. *v.* 4. irrito stetit. *leg.* irrito euentu.

pag. 45. *v.* 17. prægraute, *lege* prægrauante.

pag. 56. *v.* 7. submistrandis *leg.* subministrandis.

pag. 64. *v.* 1. Nec maxima subsistunt, *leg.* nec maxima nec minima.

pag. 77. *v.* 9. intercessione obtentam *leg.* intercessione eius.

pap. 80. *v.* 2. vt suprema *leg.* vt ad suprema.

pag. 94. *v.* 22. e infelicissimus *leg.* felicissime infelicissimus.

pag. 96. *v.* 11. ventis peruio. *leg.* in tugurio ventis peruio.